MATTHIÆ WASMUTH

HOLSATI

GRAMMATICA ARABICA,

Singulari facilitate, tàmque ſuccinctè & perſpicuè Præcepta Linguæ complexa, ut menſtruô ſpatiô, pauculas indies horas impendens, propriô Marte in ea penetrare, & feliciter memoriâ comprehendere queat.

Præmiſſa eſt Parænefis de Linguæ Arabicæ utilitate, ac præſentis operis inſtituto.

Omnia
In gratiam φιλαράβων, proque excitando frequentiore nobiliſſimæ Linguæ cultu & amore.

Eruditi poſſunt judicare, rudes diſcere, ſcioli neutrum.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.
ANNO cIↄ Iↄc LIV.

VIRIS
PERQUAM REVERENDA DIGNITATE
ET MAGNIFICENTIA AMPLISSIMIS,
NOBILISSIMIS,

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMAN,

JCTO EXCELLENTISSIMO, COMITI Palatino Cæsareo, & Sac. Rom. Imp. Exempto, Ecclesiæ Cathedralis Hamburgensis Præposito, nec non Serenissimi Slesvici & Holsatiæ Ducis Consiliario Intimo, & Cancellario Aulico Gravissimo:

DN. JOHANNI REINBOTH,

DOCTORI THEOLOGO PRÆCELLENTISSIMO, Serenissimo Slesvici & Holsatiæ Duci à Concionibus Aulicis, Ejusdemque Provinciarum Superintendenti Generali:

LUMINIBUS PATRIÆ
SPLENDIDISSIMIS,
OMNIS LITERARII DECORIS
FAUTORIBUS,
MECOENATIBUS SUIS ATQUE
PATRONIS MAGNIS,

Libamenta hæc Arabica,

Ceu Tutelaris Numinis Delubro

D.D. Conſecratque

Genium Æternitatis Ipſorum
vel eminùs venerans,

MATTHIAS WASMUTH, Phil.M.
φιλανατολικόγλωττος.

De Linguæ Arabicæ utilitate, & præsentis operis instituto.

Reprehensus olim fertur Albutius Rhetor, quod de omni causa diceret, non quicquid dici debebat, sed quicquid poterat. Reprehensionis censoriam & ipse fortè non usquequaque subterfugero; non tàm si auspicia Institutionum Arabicarum circa Linguæ nunquam satis laudatæ commendationem occupari patiar, quam si illud aggrediar dicere, quod per pauciorum pagellarum angustias non nisi malè scissa lacinia cultissimæ vestis, atque secundùm Arabes, قليل من كثير pa-rum admodùm de multo *futurum sit. Sive enim originis antiquitatem in ea consideres, quam à* Jectane *ipso Semi ex Ebero pronepote arcessi ex* Ibn-Abdillatif *& Authore Camusi docet Cl. Bochartus in suo* Phaleg; *sive linguæ suavitatem & elegantiam, cum qua collatæ χάριτες Græcorum, ἀχάριτες, & ingratæ Latinorum Gratiæ videri queant, tàm ob vocum copiam, quas centenas aliquot, imò mille interdum eidem rei tribui,* è Schallaladdino in lib. Mezhar, & Firuzabadio *ostendit Cl. Pocockius*(a), *quàm ob significationis vim, & phraseologiæ elegantias, quas pro flosculis sermoni suo miscere sueverunt Persæ; sive amplitudinem ejusdem, quâ per immensos terrarum tractus, sacri pariter ac profani doctarumque mentium interpres, tot maximarum gentium Linguas moderatur, ut hodie extremos ferè Orientis & Occidentis terminos conjungat; sive quicquid demùm nobilioribus Linguis in laudem apponi usquiam mereri potuit: summa omnia, tamque ubere rerum proventu, in hac Arabica nostra se ostendunt, quæ perfunctoriæ operæ modum, tàm sterilis præsertim vocis officiô, quàm longissimè à se spernant. Illud tamen non possum, quin promerendo prolixiori harum literarum favori ac cultui, vel eâ in parte, quâ per omne scientiarum genus longè latissimèque patente utilitate se commendant, inæstimabile earum pretium saltem ἀκροχειλιζόμενον, nec nisi per nebulam adumbrandum suscipiam; ostendendo simul, cuicunque Facultati ac scientiæ addictos habere, ob quæ non negligendum sibi hujus Linguæ esse studium, omninò persuasi esse debeant. Atque ut exinde telam ordiar, quàm insignes usus Lingua Arabica τοῖς θεολογουμένων πᾶσι, ac summam propè sui faciat cognoscendi necessitatem; primò quidem ad solidam Ebraismi intelligentiam, quæ tàm cara nobis esse debet, quàm exacta fidei & mysteriorum salutis nostræ cògnitio, tàm præclaram affulget facem, quâ hautquaquam patienter carere posse arbitramur, quotquot Legem Divinam ritè versare, penitioresque sacræ paginæ sensus dextimè eruere, sibi creditas partes esse volunt, atque hôc nomine πρωτόβαθροι in Theologorum subselliis salutari. Non quod Radicum origines, Linguæ Ebrææ ab Arabica, mater à filia repetat, sed quod numerosæ voces Linguæ Ebrææ, quæ mutila, & exiguâ tantùm sui parte in Vet. Testam. libris hodie reliqua est, non nisi è lingua Arabum, quæ per tot seculorum decursus genti suæ salva ac incor-*

(a) In Notis ad Spec. Hist. Arab. p. 153. Conf. & Cl. Warneri Epist. Valed. ad finem Proverb. Persicorum.

incorrupta permansit, & communes ferè cum Ebraa habet radices ac vocum rationes, explicari queant, atque illustrari. Quod ne verbis magis quam re ipsa demonstrem; en ipsò primô statim Versu Biblicô ברשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ *tres voces ex Arabismo lucem accipiant necesse est. Vox enim* אלהים Deus, *cujus formale non consistit in* judicando, *(qua sententia Rabbinorum à linguarum peritis exploditur,) sed in* colendo, *originem habet ab Arabico* اله religiose coluit, adoravit, *quæ etymologia etiam natura & gloria divinæ apprimè conformis est. Ita vox* שמים cœlum, *de qua diu multùmque ineptiêrunt dictam volentes quasi* שם מים ibi aquæ, *Arabicæ itidem originis est à Rad.* سمي excellere, supra reliqua eminere; *prout & ipsis vox* سماء *ab eadem Rad. Cælum significat. Pariter* ארץ terram *significans, non ab Ebræo* רוץ currere, *quod multi voluère, derivatur, sed ab Arabum* ارض, *quod notat quicquid* humile *ac* depressum *est. Ita quod tritissimum vocab.* נא obsecrò *semel pro* crudo *usurpatur Exod.* 12. *v.* 9. *non aliunde explicationem accipit quam ex Arabum* نيا crudus fuit, *fatentibus Ebræorum Magistris R. Aben-Esra, & Schel. Iarchi: aliàs enim sec. Thalmudicos* (c), אין נא אלא לשון בקשה non est vocabulum נא nisi obsecrantis. *Imprimis verò in Libris Script Poëticis, & maximè Iobi, (quem Arabum Theologum, appellat Bibliander,) frequentes sunt voces Arabismo debitæ, quod aliquando se palam facturum promittit Cl. Bochartus* (d), *pluribusque exequuntur Viri Clariß. Hottingerus* (e), *& Poeockius* (f). *Nec verò Ebrææ tantùm, sed & reliquis sacris linguis Chaldaicæ & Syriacæ plurimùm lucis infert Arabica: quod ut itidem vel unicô saltem ostendam exemplò, in Epist. ad Gal.* 5. *v.* 12. *Versio Syriaca habet* לא תהוא הארותכון לעלת בסרא ne sit libertas vestra ad occasionem carnis: *ubi vox* עלתא *non tàm è Syra quàm Arabica origine exponi potest à Rad.* علل occasionem præbuit, *à quâ ut Arabibus dicitur* علة accidens, causa levior aliquem abducens à proposito, *&* بعلة per speciem; *ita Syris* עלתא prætextus, excusatio, occasio. *Præterea cum plurima de ritibus, ceremoniis, ac institutis Populorum Orientalium in Scripturis passim memorentur, genuino tot locorum intellectu utique careat necesse est, qui talia è suis originibus, Orientalium scil. scriptorum monumentis eruere haut noverit. Atque ut singulorum levem gustum præbeamus, de certo quodam* βελομαντείας *genere meminit Script. Ezech. c.* 21. *v.* 21. stetit Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, לקסם קסם קלקל בחצים שאל בתרפים ad divinandum divinationem, tersit sagittas, rogavit imagines. *De cujus sortilegii ritu ex* Ebnol Athir *& Commentar.* Beidavii *in Cap. V. Alcorani docet Cl. Pocockius* (g), *quod, cum magni momenti negotium aliquod peragendum incidisset, consulere soliti sint sagittas, quas tres vasculo inclusas habuerunt, quarum prima inscriptum erat* امرني ربي jussit me Dominus

(c) Sanhedr. f. 43². (d) in Phaleg, l. I. c. xv. p. 66. (e) Thes. Philol. p. 506. & Analect. Theol-philol. p. 145. & 257. (f) ad Specimen. Hist. Arab. p. 92. & 233. (g) lib. alleg. p. 328. 329.

nus meus, *secunda* نهاني ربي prohibuit me Dominus meus, *tertia à.* غفل *nullâ notâ insignis erat. Extrahentibus igitur unam, si occurreret illa, quæ juberet, tanquam monente Deo pergere, si illa quæ vetaret, desistere, si ἀγεγράμματος illa, reponere suevisse, donec prodiret, quæ vel jussu præiret, vel interdictò occurreret; illamque per sagittas divinandi rationem etiamnum ap. Muhammedistas manifesta superstitionis antiquæ servare vestiga. E quibus jam ultrò liquere putamus, quis sit sensus allegati dicti. Cujusmodi aliud adhuc specimen de Sabæis petas licet è Cl. Hotting. Hist. Orient. l. i. c. 8 p. 197. Porrò & Versiones Arabicæ quæ in integrum extant & Vet. & Nov. Testam. non exiguum momenti afferunt ad Theologiam: & quidem si usum primò spectes Exegeticum, plurimum itidem faciunt ad expositionem multorum Script. locorum. Ex cæteris, Rom. c. 3. v. 2.* Ἰουδαίοις ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, *Arabs vertit,* commissa est Judæis الصديق بكلام الله verificatio Verbi Dei, *i. e. constanter perhibendum testimonium de sacris voluminibus, hos solos libros authenticos & Canonicos esse. Et illud 1. Ioh. 5. v. 21.* φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων, *Arabs sic,* من عبادة الاصنام à cultu imaginum; *ita ut non omnem εἰκονοποιΐαν suo fine & modô constantem, sed εἰδωλοποιΐαν prohibitam doceat. Sic Matth. 6. v. 11.* τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον; *Arabs,* خبزنا كفافنا panem necessitatis nostræ, *seu partem victus & sustentaculi sufficientem; ad exemplum Syri, qui itidem vertit* לחמא דסונקנן panem necessitatis nostræ: *adeò ut uterque pulcrè concinat isti Proverb.* 30. v. 8. הטריפני לחם חקי pasce me cibo statuti mei, cibo demensi, quod mihi convenit: *cumque Chaldæo Paraphraste,* זוני לחמי מסתי pasce me cibo sufficientiæ meæ, quo *nimirum, interprete Cl. Dilherrô (h),* reficiamus quotidianas ruinas corporis, edendo & bibendo, antequam & escam & ventrem destruat Deus, cum occidet indigentiam nostram satietate mirificâ; *appositè* LXX *Græci reddunt* τροφὴν ἐν χαίρῳ; *at minùs benè Æthiops, qui pro Syri* סונקנן necessitatis nostræ, *vertit* זלל עלתן dsalala olatana, *i. e.* qui singulæ diei nostræ. *Ita Arabs noster non parùm vindicat verum verborum sensum, Ioh.* 12. *v.* 44. Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui misit me, *(è quibus Arriani olim & hodiè Sociniana colluvies Divinitatem Christi impugnare & blasphemè asserere conati sunt, non esse in Christum credendum eâ fide, quâ in Deum credimus,) dum rectissimè inseruit particulam* فقط solùm, tantùm, *scil. non solùm credit in me; in Græco enim* μόνον *omissum est per ellipticam loquendi formam, idiotismo Ebræorum accensendam, prout ex infinitis aliis locis confirmari potest. Conf. opus illud lectiss. Adversar. Sacrorum Fesselii, l. 4. c. 3. §. 13. seqq. Quod si jam Arabicæ Versionis usum spectes Historicum, hic verò vitas Evangelistarum, seriem, tempus, locum Epistolarum, unde, quando, quâ linguâ, &c: scriptæ sint, tàm accuratâ persequitur diligentiâ, ut quibusvis aliis palmam præripiat; quas singulas subscriptiones atque alia*

(h) Eccles. Sacr. Dict. 11 p. 48.

eò facientia ordine recenset Cl. Hotting. in Analectis Theol-Philol. à p. 275. usque 281. Quantum denium ad usum ejusdem Elenchticum, non tantum antiquâ Arabicæ Ecclesiæ consuetudine, translationem Scripturarum in linguas vernaculas, licitam, sanctam, & laudabilem esse evincunt, sed & luculentis illis Euangeliorum & Epistolarum Inscriptionibus, quæ quasi epitome & compendium sunt Arabicæ Theologiæ, tantam authoritatem, effecta, & adjuncta Scripturæ sacræ tàm emphatica tribuit, quæ meritò in ruborem dare possint Alastoras illos, tàm indignè tractantes sanctissimam Scripturarum majestatem, ut eam ab Ecclesia suspendant, lectionem vero earum perniciosam, & hæresium matrem, protervè vociferentur. Cumque nullum librum auspicetur, aut finem ulli imponat hic Paraphrastes sine δοξολογίᾳ, nusquam tamen, qui hodiernorum المشركين associatorum, Deo socios tribuentium, *mos est, pari loco collocant Christum cum Maria, aliôve Sancto. Matthæi initium est:* بسم الاب والابن والروح القدس الاله الواحد In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Dei unius: *Finis ejusdem;* والمجد لله دايم ابدا Laus sit Deo perpetua in æternum. *Qualia vota & gratiarum actiones his & similibus verbis per universum N. Testam. frequentissima sunt. Sed quid tandem ad Theologicam professionem quoque propiori jure spectare existimabimus, quàm pestifera Pseudoprophetæ illius Arabis, infensissimi Divinitatis & crucis Christi hostis, dogmata, seductique populi errores ac superstitionem, beneficiô hujus linguæ è genuinis suis fontibus percipere ac intelligere posse, indeque Muhammedanismi incunabula, successus, hæreses & schismata, tanquam Disputationum principia ac fundamenta perspectissima habere, ne in redarguendis Infidelibus, (si modo ulla adhuc serior nos cura tangit, remedia tandem, quæ recta ratio pietasque dictant, deplorato illi malo adhibendi, quod sive neglectum tot seculis sive dissimulatum, majorem mundi partem, proh dolor! insedit, magnô Christianis relictô oscitantiæ probrô,) nos locô fidelis testimonii, vulgivagos errores & ementitas personas admittere cogamur, (quam in rem gravissimæ magnorum Virorum exstant querelæ,) illi vero linguâ ipsis ignotâ scribentes nec legere nec intelligere queant. Sed ut ipsorum armis contra ipsos pugnantes, (quali institutô olim Iovinianus Augustus Christianos gentilium literis quàm maximè imbui voluit,) anilibus illorum deliramentis & Alcorani nugis clarè ob oculos positis, suis propemodùm dejiciamus præsidiis ac debellemus, veritatem vero cœlestem amplecti ac sequi, validis argumentorum telis cogamus vel invitos. Nec enim aliunde has sanctissimas curas, quibus ita de aliorum salute benè mereri, ejusmodi erroribus occurrere, lumen non videntibus præferre, eosque à devio tramite in veram salutis & Regni Christi viam revocare, communis utique causæ & religionis interest, aut felices earum aliter exspectabimus successus, quàm à scientia ac frequentiori cultu illius Linguæ, quæ una nostræ cum illis gentibus communionis potest esse instrumentum; & cujus unius beneficiô, requisitos in hanc rem subsidiorum apparatus, eruere, non minus in proclivi est quam necessarium. Qualis argumenti præclara multa non solùm Cl. Hottingerus,*

tingerem, in Historia sua Orientali suppeditat, majora etiam nos expectare jubens in Comment. suis de Religione Arabum; sed & egregiò specimine, orthodoxiam Christianam ipsorum Infidelium testimoniis non destitui, è variis eorum scriptis demonstravit Cl. VVarnerus, in Compendio suo Historico eorum, quæ de Relig. Christiana exhibent scripta Muhammedanorum. Verùm cùm in Theologia se exerentem hujus literaturæ usum vix demonstrare caperim, video de aliis Facultatibus & scientiis eidem confirmando, non idem tribui posse spatium, quin præsentis instituti rationem planè excedat ac modum. Sufficiat igitur dixisse, Iurisconsulto quidem tàm commendatam esse debere Linguam Arabicam, quàm commendatione dignissimum est, Leges, instituta, & placita tot Orientis Sapientum, adeoque Iustitiam ipsam totius Asiæ, & Africæ, & magni illius Imperii Saracenici, cum Romano & patrio jure conferre posse, quæque inde Patriæ suæ ac Civium saluti accommoda sint, prudenter ac salubriter nosse attemperare. In quo argumento insignia & luculenta Arabum monumenta itidem possidet instructiss. Orientalis Biblioth. Leidensis. Medico vero vel ipsa illa saluberrima monita, quæ tuendæ valetudini humanæ φιλιάτροις suggeruntur tot præclaris Arabum Medicorum scriptis, satis esse debent ad suscipiendum tam utilis ac necessariæ linguæ cultum. Plurima autem de Arabum Medicis studiis memoriæ prodita sunt, in Historia Saracenica Elmacini passim, nec non opere illo Rasis Medici Arabis, quod الحاوي comple-ctens *vocatur; atque à Gabriele Sionita de Vrbibus & moribus Orientalium Cap. 3. pag. 16. Quibus conferre licet Præfat. in Legem Muhammed. Clar. Hackspani, imprimis vero Epist. Elichmanni ad Clariss. Zecchendorfium de usu Linguæ Arabicæ in Medicina, Ienæ impress. Anno 1636, ut & Clariss. Hottingeri Analecta Theol-Philol. Dissert. VI. Sic inter plurimos alios in Leidensi modo laudata Bibliotheca extstat* كتاب عيون الانباء في طبقات الاطباء liber continens historiam Medicorum secundùm gentes & ætates; *In quo longâ serie præter Medicos Græcos, & Syros, memorantur Ægyptii, Alexandrini, (ubi olim eruditum fuisse pro omni experimento suffecit Medico ad commendandam artis authoritatem, referente Ammiano Marcellino (i), Babylonii, Mesopotamii, Indi, &c: quorum nemo non insigni aliquò scriptò artem Medicam illustravit: ut meritò statuerit Matth. Pas. Orat. inaugur.* Medicinam neminem per transennam aspexisse, qui non ultrò Arabicæ linguæ cognitionem artis illius Professoribus summoperè necessariam esse confiteatur. *Et certè si artis experimenta ab ipsis Magistris capienda, adeo μακρόβιοι narrantur Arabum Doctores, ut prorogatæ supra communem fatorum legem vitæ, gloriam quandam, cunctis aliis nationibus præripuisse videantur. Avicenna quidem, qui aliàs* ابو علي ابن سينا Abu Ali Ibn-Sina *Arabibus dicitur, ad annum 125 vitam produxisse perhibetur; & alius*

(i) libr. 22. de studiis Academiæ hujus Medicis.

quidam non incelebris Medicus Arabs, nomine Ibn Zoari, *ad annum* 135, *authore Averroë quem ineptè vocant pro* ابن رسد Ibn Rasjid. *Sic Cosso illi Arabum eloquentissimo, ab Elmacino* (k) *anni tribuuntur* 180. *Qualis longævitas Arabibus planè haut nova est aut insolens. Cæterùm quantum ad Studia demùm Philosophica, ea hic non delibando lubens atque* αὐτάγεπτς, *ad arbitrium eorum qui facilè aversionibus stomachorum laborant, Musivas has* ἐπιδορπίδων *mensas tollerem, quandoquidem vel sic ultrà brevioris Paræneseos modum, pro Grammatici certè libelli mole, sermo excresceret; nisi intra veniæ spem fore consideremus, quod pari libamento haut relinquendam censuerim imperitioribus justam criminandi ansam, post omnia Philosophici demum salis gustum Arabica nostra defuisse Lingua. Ab hac igitur etiam parte suas exstare commendationis rationes, nemo inficiabitur, qui per septingentos fere annos, quibus longè latèque in Asia, Africa, & magna Europæ parte dominati sunt Arabes, ut armis, ita & bonarum artium cultu ac literis, res eorum viguisse, non ignorabit: quandoquidem omni eô tempore, in tot florentissimis Academiis, Marocci, Fessæ, Hubeddæ, Constantinæ, Tuneti, Tripoli, Sigilmessæ, Alexandriæ, Cayri, imprimis v. Basoræ & Cufæ, aliisque plurimis, (de quibus conferri potest Ioannis Leonis Africa,) tam læta Clarissimorum ingeniorum enituit ubertas, ut nullam Philosophicarum artium, ac liberalioris eruditionis partem reliquam fecerint, quin præclaris ad æternitatem scriptis dederint illustratam; usque adeo ut scientiæ liberales ritèque institutæ peculiari nomine* Studia Arabum, & Arabica Studia *vocari captæ sint, tanquam genti huic fere unicè propria. Et quidem Geographi eorum celebriores triginta ferè recensentur ab* Ismaële Abulfeda, *magnô Syriæ Rege, in commendatissimo illo opere Geographico, quod Versione Cl. Schickardi, Viri ab Orientis literis celeberrimi, donatum, brevi lucem in Belgio visurum speramus. Historias vero exactas & fideles, non solùm de rebus Græcorũ & Romanorum, sed & Chaldæorum, Assyriorum, Arabum, Persarum, Ægyptiorum, Tatarorum, Indorum, ab ipsis repetere licet inde ab origine ipsarum gentium. Atque ut libros eorum Morales, Politicos & Legales taceam, quos nec paucos habent, nec exiguæ molis; in Mathematicis certè Disciplinis, atque illâ imprimis* Αστροφίλων *siderali scientiâ, ea Arabum præclara exstant monumenta, ut nulla alia gens paria hic cum ipsis facere credatur: prout tùm hujus tùm superioris generis, plurima Arabum scripta vel è Catalogo Leidensi in testimonium citari possent, nisi brevitati studeremus. Ita non solùm Mathematicorum librorum Arabum integer habetur catalogus in Supplemento Prodr. Copti Kircheri, cap. X. p. 620. sed & egregia alia, in quem omnem Philosophiæ partem multùm facientia, de Animalibus, Plantis, & Herbis, Constellationum nominibus, Computu Anni & Mensium, miscellaneis rerum appellationibus, aliisque terminis Philosophicis, & variis adeò ultimæ antiquitatis rebus, è reconditissimis Orientis penetralibus tàm Arabum, quàm Coptarum seu Ægyptiorum eruta. Unde & Philologis tandem æstimandum relinquitur,* quid

(k) Hist. Saracen. l. i. cap. 7.

quid ab Arabismo sibi polliceri debeant, si vel voces illas considerent, quæ multis Arabismi imperitis nescio quid effecerint monstri; ut testantur seqq. هجرة Hegira, مملوك Mamluk; خليفة Chalifa, *quam in Propriam convertit Polyd. Virg. (l) cùm Successorem notet Muhammedis*; شريف Scherif, *quô nomine gaudent, qui Muhammedem sanguinis jure contingunt, quod præ aliis quandam habeant generis prærogativam*; شرقيون Saraceni, *non à Sara, quod vulgò volunt, sed à* شرق ortus fuit, *deducenda, quasi* Orientis populi, Orientales *(m)*. مفتي *Mufti, quæ* Sapientem, Doctorem, *significat*; وزير Vezir, *quæ notat* Consiliarium, Vicarium Principis, *à* وزر partavit onus, *eò quod in partem curarum veniant Principi*; محمد Muhammed, *pro quô corruptissimè dicunt Machumet; atque sic complures aliæ. Porro Poëtas non tantùm tot habuit Arabia, quot unquam habuisse reliquus orbis putatur, sed & tanta inventionis elegantia atque eruditio, compositionis accuratio, & similiter cadentium periodorum suavitas in eorum se exerit Poësi, ut, fatentibus Leone Africanô aliisque magnis Authoribus, incredibilis Poëseos Arabicæ sit dulcedo, imò tanta, ut nihil cum ea in reliquis linguis comparari possit. Inter cujus cæteras laudes, & hoc beneficio ejus acceptum fertur, quod linguæ Arabicæ conservatio & elegantia per eam incorrupta manserint. Nam referente* Schallaladdino *(n)*, كان الشعر في جاهلية عند العرب ديوان علمهم ومنتهي حكمتهم به ياخذون واليه يصيرون Fuerunt Poëmata Arabibus olim *ἐγκυκλοπαιδείας* Pandectæ, ultimus Sapientiæ eorum terminus, unde quæ illis usui, depromebant, & quò omnia deferebant. *Hinc tantus Poëseos ac linguæ suæ cultus ap. eos viguit, ut quotannis solenni panegyri in loco* سوق العكاظ Forum Ocadhi *dicto convenirent, ibidemque nobili ingeniorum palæstrâ, in recitandis carminibus de palma contenderent, è quibus quæ præ aliis placuissent, Regibus inter κειμήλια sua reponi & appendi solita. De quibus plura habes ap. Cl. Pocockium (o). Imprimis vero cum sub imperio Haschemidarum Secundus Imperator* Abu Gjafar Almansor, *& postea Septimus eorum* Almamon, *digniùs æstimatô literarum pretiô, præcipuos Græciæ Scriptores è Principum Bibliothecis Legatorum intercessu erutos undique congererent, propositisque præmiis non tantùm peritos linguarum evocarent interpretes, sed & ipsi Doctorum dissertationibus frequenter interessent, dignis Principe conatibus! quales ab eruditione plures commendat Imperatores Muslimicos Elmacinus (p); felicissimis incrementis aucta est res literaria Arabum, inque Arabicam linguam translati sunt omnes ferè antiqui libri, Romanorum, Græ-*

 corum,

(l) de rerum Inventoribus. p 517. (m) V. Cl. Pocock. Not. ad Spec. Hist Ar. p. 34. 35. (n) in libr. Mezhar, cap. 22. (o) in Spec. Hist. Ar. p. 159. (p) Hist. Saracen. p. 139. 207. 225. 234.

corum, Chaldæorum, Syrorum, Nabathæorum, (de ritibus & scientiis Nabathæorum,) nec non Ægyptiorum, qui ut omnium nationum antiquissimi, sic rerum divinarum ac humanarum, adeóque omnis Theologiæ ac Philosophiæ semina reliquis præbuêre; è quibus præsertim Hermetis Trismegisti opera translata maximi faciunt & Persæ & Arabes. Atque horum librorum plurimi sunt, qui ap. nos aut non reperiuntur, aut mutili admodùm ac depravati existunt, quique adeò ex Arabicis, ingenti Respubl. literariæ bonô, possent restitui; ceu Titi Livii Libri deperditi, quorum jacturam totus dolet orbis Latinus, Pappi Alexandrini Libri Mathematici, thesaurus inæstimabilis, Hippocratis & Galeni non pauca: imprimis vero luculenta in Aristotelem Commentaria; ut Explicatio Analyticorum Posteriorum Themistii, inque eadem Alexandri Aphrodisæi (qui primus in Aristotelem scripsit) Commentaria, Interpretatio Ammonii in libros Topicorum Aristotelis, Porphyrii in librum Physicæ acroaseos Aristot. & complura alia. Ita Cl. Ravius, in Obtestatione suâ ad Europam Constantinopoli scriptâ, meminit complurium Operum, Avicennæ, Ptolomæi, Heronis, Archimedis, Apollonii Pergæi, atque aliorum; imprimis vero & Patrum Opera in Oriente reperiri præclara, omnes Chrysostomi Libros, & præter hos, Basilium, Eusebium, Clementem Alexandrinum, hujusque plurima quæ in Græco desiderantur. Non solum. a. quicquid usquiam Europææ eruditionis est, in linguam suam traductum, aut illustribus Commentariis ornatum possident Arabes, sed & ipsi suam à se efferunt ad scribendum pulcerrimarum rerum copiam, stylique dexteritatem ac Venerem: & licet arti typographicæ nullum apud se concedant usum eò quod Reipublicæ & fidei perniciosam existiment, ut à qua omnes nostra hæreses & schismata pullulasse ipsis creduntur; (q) nihilominùs Scribarum publicorum operâ tantam librorum comparatam habent copiam, ut à testibus oculatis & fide dignis se habere, *dicat Cl. Erpenius,* (r) in una Bibliotheca Fessanâ triginta duo millia voluminum Arabicorum asservari. *Quomodo complures aliæ Arabum Bibliothecæ in honorem hujus Musæ allegari possunt. Sic præter Bibliothecam illam Regis Maroccani à Nearcha Massiliensi insigni audaciâ in Hispaniam avectam, quæ septies mille & octingentis codicibus constitit, instructissima alia in Escuriali Regis Hispaniarum extare refertur in Catalogo à Christiano Ravio cum Alcorani specimine editô. Nec vero in Oriente tantùm & Iberis tàm copiosô librorum apparatu Arabum Musæ hospitantur, in aliis quoque Europæ partibus, ut Orientem suum non unô locô Solem salutare scias, tantâ copiâ tamq; benigniter admissæ sunt, ut facilè aliquot millenis voluminibus Arabicis omnigenarum scientiarum instrumenta numeret Europa. Ubi illustre ad augustam harum Musarum dignitatem argumentum, tùm ipsæ hic præberent Augustissimæ Imperatoriæ curæ, quibus Viennensis Bibliothecæ instructissimus apparatus his quoque numeris præclarè absolvitur; tùm Serenissimorum quorundam Romani*

(q) Conf. Spec. Arab. Fabricii Dantisc. p. 44. (r) Orat. 1. de Lingua Arabica p. 36.

mani Imperii, præsertim Brunsvicensis & Holsatiæ, Principum, tantò sublimiùs adorandus in exoticas has Musas amor atque cultus, quò angustiori eas hospitiô recipit ac illustrioribus infert Bibliothecis, Celsissima in terris Superûmque Numini proxima Principum Majestas; nî minutô hoc scriptionis genere memorari dedignarentur, quæ illustribus victurorum annalium chartis æternitati ostendi meruêre. Et quid demùm dicam, quot Arabum quoque volumina haut postremô locô recensenda numeret Academia Oxoniensis, nec non Leidensis tùm è legatô Scaligerianô, tùm Clariss. Golii operâ ex Oriente collata, quæque insuper Clarissimorum Virorum privati passim foruli custodiunt. Quæ omnia ut ad Orientalium rerum adyta penetranda atque augendam eruditionem amplissima sunt, sic usu maxima; adeò ut ante tria propemodùm secula, gravissimis rationibus permoti Patres Concilii Viennensis sanxerint, ut in Scholis Publicis, quas Academias vocamus, præter alias Linguas etiam Arabica doceretur ad propagandam Religionem Christianam, & revocandos in viam rectam salutis, & lucrifaciendos Infideles. *Sed* εἰμί γε ποῖ γῆς; *alibi nobilissimæ Linguæ laus sublimium possidebit animarum laurum, quæ* θεοπρεπεστέροις λόγοις *eam dignâ se sede asserant; ego hìc contraham vela, ne in immensarum rerum oceano cum cimbula deprehensus, naufragii pericliter: atque illud potiùs mirandùm cum animo sumam, atque exquirendum, qui communis hæc ferè nec ab hesterno querela sit, quod licet crebris in publicum adhortationibus, Viri Clari ab his literis, gratiam Linguarum Orientalium, necessitatemque earum cum ingenti fructu conjunctam* κερτομίοις ἐπέεσσιν *studiosæ juventutis animis inculcarint, nihilominus surdæ ferè hactenus pulsentur aures, nec quicquam magis in confesso sit, quam Musarum studiis operantes in omnia alia potiùs ire, quam tractanda hujus literaturæ sacra. Equidem reperiri etiam hasce Musas colendi studiosos Viros, reliquæ etiam omnis eruditionis Principes ac Coryphæos, ultrò fatemur; illud tamen dolor jubet dicere, cum aliarum Facultatum ac Disciplinarum studiis hæc Orientalia nostra collata, vix* אחד מעיר ושנים ממשפחה unum ex urbe aut duos è familia *possidere gnavos ac industrios sui cultores. Percontationi causarum si occurrere licet, initiò quidem removere posse videor illam, quasi Orientales Musas literaria destituat suppellex, vel sollertium aliquos Doctorum magisterium. Nam ut silentiô venerer, quæ omnia immortalium operum ad promovenda Orientis studia pro se quisque contulerint, præter alios Semonas harum literarum, Scaliger, Postellus, Erpenius, Schickardus, Ludov. de Dieu, Pocockius, Golius, Gravius, Hottingerus, Viri sanè omnes cum cura dicendi, quorum meritorum laudes hic referre prolixum foret; quàm ab illustrium scriptorum monumentis non deserta sit hæc Musa, paulò antè ostendimus. Nec verò contemtum etiam nobilissimæ Linguæ usum exclusisse aut neglectum*

rejecisse facilè dixerim, quandoquidem præter inæstimabile tantorum emolumentorum bonum, ut superiùs paucis ostendimus, vel ipsa exotica quædam peregrinitas hoc ei pretium tribuere videtur, ut & modicam saltem ejus cognitionem possidere, multi ad nescio cujus transmarinæ eruditionis gloriam quandam libenter interpretentur. Sed si rectè calculum posui, plerosque hactenus ab his literis retinuisse existimo, illam in linguæ hujus cognitionem penetrandi difficultatis persuasionem: quam quidem ut falsissimam esse constanter edico, si aut themata linguæ originalia horumq; derivata perpendamus, (ut quorum nulla lingua minorem discendi vel necessitatem facit vel difficultatem,) aut ipsum idioma hujus linguæ atque genium, quàmque ille facilem ac succinctam præceptorum nullis ferè anomaliis laborantium compagem non magis postulet quam admittat: ita suam habere rationem ac causas non planè abnuerim, si quis absque perspicuâ & planissimi tenoris servanti præceptorum serie, Arabica studia aggrediatur; ut sine quâ non ita inania terricula menta esse literarum paulò aliter pictarum, ut à quibusdam elevantur, cuique experiundo licet cognoscere. Quod si jam exstantes hôc fine inter nos quorundam Grammaticos libellos, imprimis verò illum, qui unus instar omnium habetur, atque ipsius Alcorani perfectionem Grammaticæ normæ fundamentum præfinivit, putà Cl. Erpenii, *paulò diligentiùs excutiamus, nemo non fatebitur opinor, non solùm eum nobis quidem Europæis, pro consuetâ docendi methodo, accommodatiorem longè ac utiliorem esse ipsis Arabum Grammaticis, maximèque illa Gjarumiâ, quæ Romæ Commentariis Thomæ Obecini explicata juventuti φιλάραβι communue præstat magisterium: sed & magnum illud Belgii lumen præter alia immortalium operum, vel uno hôc nomine benevolam sui memoriam, omni posteritati grato cum animo recolendam abundè commendasse. Nihilominùs, quanquam nullius unquam præclaris meritis, (ita benè propitium semper habeam hunc ipsum Musarum Genium,) vel tantillum detractum velim, ne tamen nunc quicquam in ullius gratiam vel simulemus vel dissimulemus, injuria fortè Cl. Erpenio non fiet, si quis, non eâ ubique facilitate, tàmque brevi ac perspicuô tenore, ab ipso tradita esse Arabismi præcepta, ostendat, quàm tradi commodè queant. Cum enim pressâ quâdam ac rotundâ compositione informari præcepta debeant, quò non tàm è nostrô quàm sub ingeniô, ipsâ quasi dictante linguæ naturâ, fluxisse videantur, illique conceptus simplicitate tantò fideliùs obhæreant memoriæ, quò eam immigrant acriùs; in Erpenianis meritò hoc desiderari posse, vel ipsa illa documento erit tàm superflua passim redundantia, ut & salvâ & abundè perspicuâ omni præceptorum doctrinâ, ampliùs quam dimidiâ parte minori mole queant dari; ceu patet ex eorundem cum his nostris collatione. Præterea cum res affines continenti serie, eôdemque locô, pertractari meritò debeant, quò naturalis alicujus nexus subsidium memoriæ præstent, quandoquidem longè perfectiùs ab omni parte perspicimus,*

cimus, quæ sub uno obtutu posita sunt, quam quæ partes aliquas hìc alias alibi colligunt, hìc quoque Erpeniana, translatitiô quôdam contextu subinde quasi ab interrupto rursus ordiri, dum conjungenda diversis locis per partes tradunt, deprehendet, quisquis doctrinam de Temporibus Verborum, nec non de inflexione Nominis in his & illis contulerit. Tùm verò nisi brevem esse oporteret, multa recenseri possent, quæ minùs ritè in illis passim informantur: veluti quod pag. 28. literæ و & ي vocalibus destituta post Fatham non rarò manere dicantur, cùm tamen semper id fiat, salvô tantùm Regularum alteriùs conditionis dominiô. Conf. pag. nostr. 31. Sic Regula de اوي quiescentibus quod ante Gjezma excidant, à Dn. Erpenio generaliter informatur, cum exceptione solius ا unionis, (licet & hoc sæpè excidat, dicitur enim بسم, لبني, &c.) cùm tamen in ا rarissimè habeat locum, in و & ي verò tantùm secundis radicalibus, inque certis tantùm Conjugationibus, quamobrem ad specialem eorum Regulam, hoc referendum erat propter ibidem subjungendas statim necessarias exceptiones aliasque conditiones. Conf. pag. nost. 41. 42. Sicut contrà de plurimis, quibus Regulæ Generales ritè informatæ, secundas Radicales و & ي, ceu maximè anomalas, communi pluribus præceptô absolvere poterant, in peculiari Verborum Anomalorum doctrinâ de novo præcepta cuduntur, tantò difficiliora, quantò magis ad certas personas certorum temporum sunt astricta, ceu patebit conferenti in Erpenianis, pag. 80, & 82 fine, aliasque cum nostr. pag. 42. Ita pag. 63, in Erpenian. penultima Participiorum in Conjugationibus derivativis (scil. secundæ & tertiæ classis,) perpetuò dicitur habere Cesram, cùm tamen in nona & undecima Conjugatione non habeat. Et quantò faciliori demùm brevitate, sæpè & perfectiùs, octo foliorum spatiolô, tota expediri possit ratio & natura literarum أوي, in qua omnis Arabismi & anomalia & difficultas posita est, (nam quantum ad reliquam doctrinam nulla lingua facilitate cum Arabica comparari meretur,) liberum esto judicium conferenti Cap. nostr. Tertium, cum Appendi- ce *illa* Aurea *Dn. Erpenii à pag. 27 usque 35, ejusdemque Cap. quintô à pag. 65 usque 103; imprimis vero Regulam nostram Gener.* III, *membr.* 2, *&* IV. *m.* I, *cum Erpenian. pag. 34, Can.* II, *& pag. 29, Can.* I, II, III, IV. *At ubi in explicanda earundem naturâ & conditione, (ut in quibus varias admodùm mutationes, præceptis etiam benè informatis, ipse linguæ fovet genius,) non tantùm Regulæ Generales minùs rectè se habent, sed & Speciales per Paradigmata* Verborum Hamzatorum, *ut vocant,* Surdorum, & Quiescentium Pe, Ain, Lam, *sparsa, labyrinthum Conjugationum reciprocis anomaliæ & analogiæ ambagibus*

ambagibus intricatissimum exhibent, quid mirum, si delicatiora ingenia istis collu-ctantia, ingeminando illud ἆιρ᾽ ἆιρε *unà cum tædio ipsum utilissimæ linguæ abji-ciant studium? Equidem novi sciolos dari quosdam, qui ne de perfectè cogniti Ara-bismi gloria dubiam habeant fidem, difficultates illas in Erpenian. Gramm. ægrè agno-scant; at non id mirum, cùm nec cognoverint satis, sed communiora analoga ap-prehendisse contenti, quæ omnia Anomaliarum Conjugationibus Verborum Imper-fectorum ibi implicentur, ceu imperfectionis alicujus testimonia, non adeò ad se perti-nere arbitrantur, nihilominùs grassanti etiam cum triumpho opinione benè securi de perspecto satis Arabismo. At cùm in explicando textu Arabico non minus ano-malia possit esse obvia quàm analogica vox, si jam sepositis Grammaticis res agenda sit, cernas subinde pendere ac trepidare, ut mus, quod Comicus ait, ad parietem; tandem pro solatio habentes illud Persarum,* نميدانم راحت خانـــم nescio est tranquillitas animæ meæ: *nec certiori aliô experimentô* κενεαγγίαν *suam prodere coguntur tumidi ejusmodi utres, tantò indigniùs meritò accipiendi, quod & censuræ minas in hæc talia gerere non erubescant, nisi sordidum censerem, cum iis certare, quos vincere inglorium. Si qui a. periti hujus literaturæ, vel singu-lari Cl. Erpenii studiô diversum sustineant, vel solenni plerorumque artis peri-tissimorum malô, laboriosiùs doceri quid tantò minùs advertant, quo magis aliorum quoque conceptus statim explevisse credunt, quæ ipsi habent cognitissima; per me facilè suô quisque abundabit sensu, dummodò & communi experientiæ Magistro ali-quæ judicandi hîc maneant partes, utrâ methodô vel feliciùs se juvari senserint Tironum studia, vel benigniùs se siverit invitari frequentior harum literarum cultus. Nam ne sine plausibili prætextu quicquam dissimuletur, audias quos-dam tùm hujus tùm aliarum linguarum difficultatibus facilè superandis, unum hoc certissimum reperire consilium, frequentem linguæ usum atque exerci-tationem; nec illud, meô quidem judiciô,* ἐν φακῆ μῦρον, *nam & attestantibus Ebræorum Magistris,* (ſ) כל כלי ריקן סופו להתמלאות omne vas va-cuum vel tandem repletur. *At ne in re seria ludatur, usus linguæ utique est, cujus gratiâ cognitionem ejus amplectimur, & à quo complementum accipiat opor-tet, quicquid propter eam susceptum est, sed ideóne illud ad facilitatem jaciendi linguæ fundamenta interpretabimur, quod nihilominùs per eadem tormenta & inexplicabiles tricas discentium trahit ingenia, quamdiu Grammaticorum præcepta iis laborant? Hâc ne viâ tàm ritè insisti posse putabimus, ut eam præscribens, non eâdem operâ jubeat* λύχνε ἅψαντας λυχνεῖον ζητεῖν. *Aliud statuet opinor, quisquis studia juventutis Academica aliis quòque scientiis ac literis occupanda esse considerabit, quò minùs tantum usus atque exercitii transmittere queant expugnan-dis*

(ſ) מרדא חיכק in Præf. fol. 51.

dis sterilibus vel Ebraismi vel Arabismi Grammaticorum difficultatibus. Quamobrem cum vel ipsâ teste experientiâ didicerimus, quid tùm hujus remedii solatiô, tùm votis ac suppliciis hactenus effectum sit, quamdiu impedita quædam ignota linguæ traditio non nisi tædii patientissima admisit ingenia; quid aliud reliquum est, quàm ut hôc pactô consulatur in medium, quô modum discendi magis magisque illustrando, laborem minuendo, facilitate studium alendo, juventutis debiles juventur conatus, inque lætiorem facilioris apprehensionis spem erigantur? Nam quod scitè monent Arabes: شتان ما بين السهول والحزن Interest quid inter viam planam & salebrosam. *Ubi tùm nullum manebit dubium, quin facilibus & perspicuis præceptis ad uberiorem linguæ cultum volentes potiùs habituri simus quàm refractarios, nec tantùm ad benignitatem invitantium victas porrigent manus, sed ipsi nostra etiam prævertent vota. Nam & restabit sat ampla undique honestissimi laboris multitudo, etiamsi unam Grammaticam non ita vel deperire vel timere oporteat, ut plus quàm unius mensis subcisivæ horulæ impendantur. Imprimis v. id dandam esse operam puto, ut secundum Philosophi monitum* (t), singula sic pertractentur, ut suâpte naturâ percipi possint, & *studiosi harum literarum proprio Marte eò queant penetrare, ne fidelium & peritorum magistrorum manuductione destituti, propterea & Arabismi cognitione carere cogantur, nec in posterum tàm carè veniat Arabum Musas salutare, ut πλωχομένοις quibusdam tantò iniquiùs postulatam esse novimus in menses mercedem, quo infeliciùs alteri commonstrant viam, qui sibi ipsis semitam non sapiunt. Nec est, quod quisquam à Præceptorum magisteriô se hoc pactô abduci & communi hinc αὐτοδιδάκτου convitiô flagellari metuat. Non propterea Sapientum carceribus statim se credat emissum. Securum esse jubeo, post hæc quoque spicilegia magnas apud eos superfuturas messes. Cum enim ii, qui in illustri alicujus Athenæi luce ita versantur, ut publicâ religione his intersint literis, plerumque nobilioribus se curis, nec adeò immeritò, soleant impendere, ut rariùs omninò explicandis vacent linguæ præceptis, num fraudi cuiquam fore putandum, eâ præviâ imbutum cognitione afferre animum, quâ grandioribus aptus sit formari studiis? Sive de ritibus, moribus, ac institutis Orientalium, eorum religione & studiis, rebus bellô & pace gestis, mutuis successionibus, & imperiorum fatis, aut quibuscunque rebus aliis, è veteri & recenti eorum memoria sit repetendum; sive linguæ vires & proprietates, lictis jam Grammaticalibus, ex ipso Arabismi genio ponderandæ, abstrusiores Authorum loquendi modi, & variis dictionum anfractus explicandi per quos sæpè liberum spiritum præcipitant, & simplicem verborum sensum magnô intexunt vocabulorum ambitu, variisque umbrantibus pingunt sententiolis; qualis stylus non tantùm frequens est ipsi Alcorano,*

(***) *sed*

(t) Ethicorum Lib. 1. c. 7

sed perpetuum ferè Authori Hist. Tamerlanis Ahmedi Arabsiadæ. Atque hæc proinde instituti nostri præsentis ratio est, ut eâ præceptorum facilitate frequentius excitare annitamur Arabismi studium, quâ non tantùm minimô temporis impendiô, sed nec tàm necessariò requisitâ vivâ Præceptoris operâ, (quorum sat raram, dextrè & fideliter in his literis versantium, copiam esse, quotidie experitur orbis literatus,) liberè pateat utilissimæ Linguæ aditus. Quô fine etiam cùm de ejusdem utilitate superiùs quædam præfatus sim, quò jam promptiorem ad has literas afferant animum tirones, felictùsque in iis propriô Marte progredi queant, non gravabor in eorum gratiam unum atque alterum adhuc monere. Initiô igitur author sim, præcepta hæc eô sedulò perdiscant ordine, quô & conscripta sunt, cujus ubique servati fortè haut obscuris indiciis se probabunt rationes. De planô & facili omnium sensu diligenter prospectum puto; quandoquidem nullum discenti fastidiosum æquè obrepere soleat tædium, quam si de sensu præceptorum, aut mutuâ eorundem concordiâ laborandum sit, aut otiosæ voculæ & similia ad Regulam non facientia redundent, cùm vel rotundè & perspicuè proposita memoriæ exhibeant negotium, & λόγυ δεινότης sit, πολλὰ σημαίνειν ἀπ' ὀλίγυ. Tùm ut continens omnium series tantò sit manifestior, diversô charactere passim inseruntur mutuæ Regularum in se remissiones, quæ quasi δακτυλοδείκτως unô atque alterô verbô tironem expediunt, ubi diu nonnunquam hærere licuisset. Et quamvis ubique propositum habuerim illud Ebræorum Doctorum,

לעולם ילמד אדם לתלמידיו בדרך קצרה Semper doceat homo discipulos suos viâ brevi; *astipulantibus imprimis & Græcis illô scitô suô, οὐ τὸ μέγα εὖ, ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα: nihilominùs haut quicquam omittendum putavi, quod aliquem cognitionis usum habere videretur, aut quod nescire felicioris progressus posset esse impedimentum. Imò non pauca ab aliis, licet haut minùs necessaria, præterita, imprimis in doctrina de Lit.* وي *seu fonte omnium anomaliarum, addita hìc reperiet, cui conferre cum his alia libitum. Exempla v. plerumque retinui Erpenianæ Grammaticæ, si quis fortè iis jam ante assuevisset, nisi cùm ob manifestas rationes ab ipso recedenti propria fuêre apponenda. Atque hæc jam taliter comparata præcepta non putò facilè tàm infelici quem fore ingeniô, quin propriô Marte, vel menstruô spatiô, (modò literarum aliquam præcognitionem legendo & scribendo ceperit,) bihorium aut trihorium ad summùm diatim iis tribuens, σὺν τῇ ἄνωθεν ῥοπῇ sic perdidicisse queat, ut adhibitô tantùm Lexicô, omnem analysin Arabici textus, è memoriâ, ut facilimô sic jucundissimô labore, possit depromere; qui utique Grammaticæ institutioni debebatur finis. Cujus promissi liberalitati brevi complurium spero experimenta fidem esse factura; modò & serios quis afferat conatus, & industriæ curam; nam si otii fortè quàm laboris patientior, non nisi jejunô aliquo aspectu hæc consequi voles, is dememinerit necesse est,*

est, semper nihilominùs esse δύσκολα τὰ καλὰ, *utut omnes commodioris facilitatis rationes sedulò inieris. An vero & aliis ullis Grammat. libellis idem effici queat à quovis mediocri ingenio, itidem certissimo experientiam liceat esse documento. Ubi tandem nec hoc tironem latere volumus, si fortè ab Ebrais literis minùs instructus sit, non esse, quod propterea minori animo has aggrediatur, quandoquidem Ebræa Lingua tàm exiguum in generaliss. quibusdam præcognitionis usum ad Arabicam habet, ut tàm levis momenti subsidio carens, propterea ab hac absterreri non debeat. Porrò præceptis jam cognitis, praxeos initium non incommodè fiet, vel à libro Proverb. Arabicorum à Cl. Erpenio edito, vel Centuriâ illâ Proverbiorum Alis Imperatoris Muslimici, quam Versione & notis illustratam, poëmatibus suis attexuit Cl. Tschernung, & hic quoque Grammaticâ analysi donatam subjecissem, nisi supervacuum visum esset, iis chartas replere, quæ à quolibet extemporali operâ præstari poterunt, qui modò à Lexicographo & Grammaticis præceptis non fuerit imparatus. Ubi simul monitus sit, qui suô se Marte experiri vult, ut omnes semper vocis conditiones probè consideret, ne quid omissum temerè statuat, quoties insolentior forma dubium habet; an fortè literarum aliqua alterius vicaria sit, & hinc sub alia Radice investiganda, aut id quod desideratur, ob certam conditionem ad aliam fortè spectet Regulam, aut non isto quo quæritur exstet loco, eò quod convenientiori aut præmissum sit, aut reservatum, & similia. Si quis tamen prævià ejusmodi analysi juvari velit, comparet sibi saltem, à Cl. Erpenio, Leidæ An.* 1617, *editam duodecimam Alcorani Suratam Historiam Iosephi complexam, quam non tantùm interlineari & aliâ simul Latiniori versione sed & analysi Grammaticâ instruxit; vel alteram illam, quam ad finem subjecit Rudimentorum suorum Arab. form. octavâ. Hæc primordia commodè excipient opuscula illa lectissima, quæ in Specimine Arabico Cl. Fabricii, Rostochii impressô An.* 1638 *exhibentur, Grammaticâ itidem in difficilioribus resolutione; nim. Dissertatio* El-Herir, *viri in Oriente Clarissimi, & Carmina* Abi El-Ula *atque* Ibn-Phered, *Poetarum Arabum insignium: Nec non Tabula Cebetis Arabicè, Græcè, & Latinè, cum luculenta præfatione Cl. Salmasii. Quorum omnium adminiculo,* τῷ ἀμφοῖν *stipulor, neminem non eò posse pertingere, ut adhibitô tantùm Lexicô, in aliis quoque Arabum scriptis, etiam punctis non instructis, sat expeditè versetur. Quorum, præter Versiones sacras & alia, typis excusa habet Avicennæ opus Medicum, & Euclydem, utrumque Romæ excusum; Historiam Arabum Gregorii Abul Faraji, cum versione & notis eruditissimis Cl. Pocockii, Viri in Arabica literatura* ἀλφηστῆς; *Historiam Saracenicam Elmacini, cum Versione Cl. Erpenii; & quæ Leidæ An.* 1636 *prodiit Historia Tamerlanis, Authore Ahmede Arabsiada, qui tamen difficilior est, ut antè quoque dictum. Si cui verò uberioris usus ergò & Latina in Arabicum transferendi exercitium non di-*

 spli-

spliceat, comparare sibi poterit Lexicon Latino-Arabicum Ioannis Baptistæ Du Val, Parisiis impressum in quarto An. 1632; quod ad Psalterii Arabicum ita concinnavit, ut & singulas dictiones, & dimidiatas constructiones, quotquot in Arabica Psalterii Versione continentur, Latinarum vocum juxta Alphabetum series indicet, quo Psalmo & cujusque Psalmi versiculo quaque reperiantur; ita ut facillimum exinde sit, quævis animi sensa Arabicè exprimere, literas Amicis scribere, scriptis respondere, paucissimis aut variatis aut additis: cujus rei gemino exemplo Author ipse pulchrè præivit, confictis è Psalterio duabus Epistolis, alterâ quasi pellectoriâ Regis Davidis ad Bathsebeam, & alterâ hujus ad Regem responsoriâ, præfatione insuper ad omnia instruente. Equidem vereor, ut commemoratorum hactenus aliquot librorum obvia ubique ac parabilis sit copia, quandoquidem raritate requirentium Arabicos libros, ipsi etiam rariùs jam haberi cœperunt: ut proinde non aliud magis necessarium sit, quàm ut frequentiori φιλαράβων copiâ & literarum harum requisitione, tantò liberaliùs Arabica typis curandi Typographis quoque animus addatur ne tantò negotiô ex Oriente invitatus exotica literaturæ hospes, sub specioso tantùm constituendarum Bibliothecarum pondere detentus, miserè in Occidentis moriatur carcere, tàmque incredibilis thesauri oppressio, publicâ calamitate, immensam necessariæ eruditionis luci præcludat partem. Atque hæc sunt, quæ monendum existimavi Lectorem Philarabem, quæsi benigniùs admiserint elegantiores animæ, nec non commonstranti comiter viam, saltem benevolentiæ ὁδοιπόριον solverint pro locata opera, animum addent ad pertexendam ان شاء الله *parem in Ebraismo quoque & Chaldaismo atque Syriasmo telam, ut cujus jam antehac eôdem filô stamina duci cœpta. Equidem linguas has sacras tantâ perfectione Grammaticâ persecutum esse novi Cl. Buxtorfium, Virum hoc unô exceptô quod parem sibi reliquit Filium, cætera incomparabilem, ut absolutius quid eô in genere haut facilè expectandum putem; nihilominùs primis accedentium ad has literas auspiciis non ita accommodas esse, (quod nec institutum fuisse Viri Summi reor,) ut propriô Marte, non præeunte Magistro, (nam de copia eorum & peritorum & fidelium quotidie testatur experientia,) linguas has aggredientibus sat feliciter servire queant, fortè plures mecum fatebuntur: quidque etiam hìc post plures alios,* לפ' עניות דעת' *expectandum, secundùm auxilium cœleste habeat studiosa juventus, ita ut semestri spatiô paucas indies horas tribuendo, in nobilissimis omnium linguis, Ebraicâ, Chaldaâ, Syrâ, & Arabicâ, sibi ipsis queant esse discipuli & doctores, præsentibus hâc vice his liceat esse experimento. Has enim præcipuè Orientales feliciter conjunxisse quam utile ac necessarium instrumentum sit, tùm ad aliarum literarum cultum atque incrementa, tùm præcipuè ad Theologiam, non magis communi orbis literati suffragiô, quàm ipsô experitur usu, cui familiarius cum his Mu-*

sis.

ſis intercedit ſtudium. In quam rem ut plura dicere instituerem, animus quidem erat, non locus. Interim ſpeciminis præclari guſtum habere ſi ſaliva ſit; præbebunt eum Cecropiæ Animæ, Cl. Dilherrus, Philologorum noſtri avi Phœnix, in Diſput. Philologicis, & Eclogis ſacris Græco-Syris; nec non Cl. Hackſpan, quem Virum vel nominare laudare eſt, in Locutionibus Sacris, earumque præcipuè Diſput. ult. Obſervationum Arabico Syriacarum: ut alia tùm horum tùm aliorum Sermonum præclara ad æternitatem monumenta hac vice ſilentii veneratione colam. Iſtis ergò abſolutis reſtabit & Perſica; quæ certè Lingua tantum abeſt ullâ aliâ laude inferior cenſenda ſit, ut dubiam etiam aliis prærogativæ faciat palmam. Sive enim facilitatem ejus conſideres, (modo perſpectus prius ſit Arabiſmus,) non alia paucioribus eget regulis, teſte & Cl. Gravio, qui eam quoque poſt Clar. Ludov. de Dieu, ſat facilibus præceptis complexus eſt; ſive cum noſtrâ Germanicâ magnam ejus affinitatem, ex eâdem utramque origine fluxiſſe, illuſtribus argumentis perſpectum habuit Cl. Elichmannus, (quô Viro non facilè alium acerbiori præmaturi fati dolore, Orientali literaturæ ereptum eſſe, præter Reſponſum illud de Vitæ termino, in quo & vivere deſiit, ex Arabum & Perſarum monumentis contextum, illa teſtantur; quæ de ipſo præclara multa in Præf. Tab. Cebetis Arab. & Græca meminit Vir Illuſtris Salmaſius,) non ſolùm è terminatis ferè ſimiliter verbis, eôdemque modô compoſitis, ſed & tàm infinitâ vocum utriſque communium copiâ, ut fidem ab invitis pœnè extorquere fateatur Cl. Bochartus (x). Et certè ſat manifeſta eſt convenientia his Perſicis cum German. خدا Gott, لب Lippe, نام Nahm, برادر Broeder, دختر Dochter, بند Band, *& ſic plurima alia. Atque ut taceam in ſacris quoque libris, Danielis, Eſræ; & Eſther, multa vocabula eſſe Perſica, qualia Cl. Bochartus l. cit. adducit è Dan. cap. 3. v. 2.* אחשדרפניא Achaſdarpenaja *Satrapæ, & Eſther cap. 3. v. 9.* גנזי ginze hammelek, *Gazæ Regiæ,* פורים Purim, *ſolenne feſtum Iudæorum,* כורש Cores *vel Cyrus;* דרוש darves *coercitio, unde* דריוש Darjaves, *id eſt, Darii. Vtque non dicam de lepore Linguæ Perſicæ, cujus acumen & venuſtatem dictorum παροιμιωδῶν ipſis etiam præfert Arabicis Cl. Salmaſius (z); multis inſuper præclariſſimis ſcriptis ad omnigenam eruditionem nos inſtruere poſſunt Perſæ, cujus egregium documentum præſtat verè roſeum illud Roſarium Perſicum Muſladini Sadi, nec minùs floridum ejuſdem Pomarium, quod longè maximis deſideriis pridem exſpectat orbis literatus. Quantum ad reliquas linguas Orientales, Armenica quidem & Æthiopica vix tantum de ſe commodi atque uſus pollicentur, quamobrem multum in iis ſtudii atq; operæ collocandum cenſeatur: quandoquidem ad profanam non tantùm eruditionem vix ullius momenti ſcripta nobis ſuppeditant, ut nihil ferè præter peregrinũ characterem*

(x) Phaleg, lib. 1. cap. 15. p. 69. (z) Præfat, in Tab.Ceb. Arab. & Gr.

admirandum habeant; sed & in sacris, quæ forte præter leiturgias quasdam & ritualia exstant versiones, teste Magno Scaligero, pessimâ fide traductæ sunt, & mendosissimè: quod vel ex Æthiopico Psalterio Ioh. Potkenii satis constat; nec illô quidem Æthiop. in sacris receptô sermonis genere, ulla hodie in orbe gens est, quæ loquatur. At Ægyptiaca Lingua seu Coptitarum, quam unà cum Hieroglyphica vetustate deperdita disciplina, immenso Reipublicæ literariæ bono, ex ultimæ antiquitatis monumentis nobis restauravit واحد الأحدين in hac literarum gloriâ Athanasius Kircherus, longè ampliori se commendat utilitate. Hâc enim ex omni Facultate & scientiâ conscripti sunt libri benè multi, quod præter Lexici Ægypt-Arabico-Latini, omnium disciplinarum & Facultatum terminos explicantis authoritatem, vel catalogus ille testatur voluminum Coptorum, quæ in celebrioribus Ægypti Bibliothecis imprimis Cayri exstare recenset Kircherus in Supplemento Prodromi & Lexici Copti, Cap. 1, pag. 511: eorumque multa millia alia exstare sibi compertum esse, ait Ib. pag. 512. Nec solùm insignes Pentateuchi, Psalterii, & totius Nov. Testamenti hâc Linguâ exstant Versiones, quas in Bibliotheca Vaticana asservari testatur idem in Prodr. Copt. cap. VIII. pag. 187. seqq. sed in ipso quoque textu sacro quædam reperiuntur Ægyptiacæ voces; ut Psalm. 80. v. 16. וכנה vechanna, id est, & plantam, quam plantavit dextra tua, ubi Ægyptiâ voce usus est Psaltes agens de vite ex Ægypto translata, cujus se septem versiones & plerasque remotissimas reperire, ait Cl. Bochartus (b). Sic de voce צפנת פענח Gen. 41. v. 45. fatentur commentatores Ebræorum: אין לפענח דמיון במקרא Non est in Scriptura simile verbum Phaneach: & alibi; si non sit Ægyptium, nescire se ejus significationem. Quod verò LXX Græci pro Tsaphnath Phanech, habeant ψοντομφανὲχ, ab Ægyptiis Sacerdotibus instructos propriam Ægyptiæ Linguæ vocem retinuisse censet Kircherus, lib. cit. cap. V. pag. 125, cùm Ebræi ob difficultatem pronuntiationis pro Ægyptio ψόντομ, dixerint צפן, significatione cum Ægyptiis eâdem, quod Iosephus sic dictus esset, quasi occultorum revelator. De quibus videri plura possunt, ut etiam de Nominibus Moyses, Ræphan, Moloch, aliisque Ægypticis, ap. Cl. Bochartum, & Kircherum, loc. cit. nec non Mejer. Philolog. Sacr. Part. 1. Tùm quem & aliàs insignis utilitatis fructum ab hac Lingua nobis polliceri debeamus, satis ostendit citatus sæpiùs Cl. Kircheri Prodromus Coptus, liber auro contra non carus, quippe totus aureus; in quo quantum ex Authoribus Latinis, Græcis, Ebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Coptis seu Ægyptiacis, Arabicis, Persicis, ab ulteriori & citeriori variarum gentium antiquitate ad restaurandam Hieroglyphicorum mysteriorum disciplinam, & veterem illam Pharaonicam Linguam, conferri queat, tam præclaro tentavit specimine, & Oedipi sui, cujus

(b) in Phaleg, Lib. 1. cap. 15. p. 65.

hic

hic Ichnographiam aliquam habet, & nunc brevi ipsum proditurum speramus, eum exhibuit gustum, ut non aliud πολυποθητότερον scriptum eruditorum vota & desideria ab aliquot annis sollicitârit; eò magis, quod & Grammaticis Institutionibus. & Lexicô Copt-Arabico-Latinô felicem in hanc literaturam panderit aditum. Sed de his forsan aliô aliquando tempore plura. Hac vice pauca illa in gratiam tyronum indicasse sufficiat ex occasione Arabismi, si fortè tandem intelligere velint meliores animæ, quid è re sua sit: eorum enim alacrioribus in has literas excitandis studiis transmissum est, quicquid hic susceptum vident operæ. Sicubi hallucinatum quis deprehendet, nôrit, mihi Clarorum aliquot nostri ævi famam ac vultus venerandi studió per exteras oras volanti, fœtum hunc excidisse; ubi rebus meis moræ impatientibus, si aliquâ parte minùs efformatus videatur, en vel naturam errori meo patrocinantem, nam & κύων σπεύδουσα τύφλας τίκτει. Cumque & Cedros sæpè corripi contingat hoc erroris igni, quid mirum sit de hyssopo prodeunte de pariete. Lubenti igitur animô ac gratâ mente Eruditorum experiemur censuras: modò & illud Phocyllidis fiat; σοφίαν σοφὸς, τέχνην δ' ὁμότεχνος. At Censorulis illis novô Diodori spiritu tumentibus, eò quod oculi statim doleant ἰωτυχημισοῦσιν ὃν Θεὸς φιλεῖ, si secum habitare nequeant, hæc saltem à tertio lapide melius occlamo non tangere, ni Hipponacte armatas, (modo tantum nugæ mereantur,) experiri velint vindices Musas, quarum Nemesin vivacibus chartis semel commissam, pòst non placabunt, si lapides fleant. Si quis autem illud cubicâ fronte, ceu insolens accipere velit, hanc in Batavis post Roscium scenam egisse; non solum conscientiæ quadam me consolatur integritas, nec famæ aut meritis ullius detrahendi studiô, quod حشي لي*, nec gloriolæ alicujus aucupiô hùc esse inductum, cùm non sim ex iis, quibus expectare volupe vetus istud, οὗτος ὁ Δημοσθένης; sed quod publicô jure liberè patere crederem hanc juventutem demerendi aream, & iter esse quacunque prior dedit vestigium; uti quidem posse viâ veteri, sed si planiorem invenero, & hanc munire. Tùm verò si qua fiducia est sui bonis, etiamsi cum iis paria facere non possim, præ quibus dignus non sum, ut figam palum in parietem, quod Comicus ait, nihilominùs & post impedimenta Orientalis hujus Exercitus postremus calo non trahi, multùm laboro; & fortè benignè mecum agendo, medium inter se hi & isti admittent, ut olim inter Athenienses homines & umbram suam medius ambulavit Diogenes. Nec enim vel ingenuitatem suam animus spe aut mercede ulli sic addixit, ut in alterius verba unicè jurandum putem; vel ita adhuc pœnitet, deserta hæc studia communioribus prætulisse, primô ad has literas auspice & ductore Cl. Sennertô, Magni Parentis non minore Filio; cui quidem Θεὸς εἴη ἀπήμων κέαρ (c). Novimus Arabum literas hôc seculô demùm in Europa coli cœptas, nec ita diu esse, quod seriò de iis cogitatum fuit. Studium igitur hoc in ascensu adhuc*

(c) Pindarus. Ode x. ςρ. ϛ.

est,

eſt, ubi incremento locus, nec inventuris inventa obſtabunt : patet etiamnum veritas, nondum omnis occupata eſt : atque ut meum faciam illud Agamemnonis apud Homerum (d),

—— —— ὅςις τῆςδε ἀμείνονα μῦθον ἐνίσποι,
Ἠ̂ νέος ἠὲ παλαιὸς, ἐμοὶ δέ κεν ἄσμενον εἴη.

Veniant ergò bonâ & propitio Apolline, quibus hoc Muſarum facere libitum, licebit poſt me, quicquid mihi poſt alios licuit ; modò & hùc paribus animis atque ſtudiis contendamus, ut inſigni quâdam facilitate ſe pluribus commendet amicius, laudabile inſtitutum cognoſcendi antiquiſſimarum gentium linguas atque monumenta, ne tàm pertinaciter domi tantùm placeat eruditio, projecta, ſi ſub peregrini idiomatis hoſpitio ruſticetur ; ſed ut tandem & Orientis ſtudia admittamus, & conjungendo, quicquid uſpiam eruditionis varium eſt, atque diverſorum animos oblectat, totiùs orbis literarii concentus ſuis impleatur numeris. Quod faxit ille πανάγαθος, brevi fiat, in Nominis ipſius gloriam, & Eccleſiæ atque Reipublicæ Literariæ emolumentum.

(d) Iliad. θ.

GRAM-

GRAMMATICÆ ARABICÆ

Caput Primum, De ORTHOGRAPHIA.

Sectio I. *DE LITERIS.*

§. 1. Literas Arabes numerant XXVIII: quarum figura, nomen, & poteſtas ſequenti tabula exhibentur.

	Poteſtas.	*Nomen.*	*Figura.* In fine.		In medio.	In princip.
א.	Spiritus lenis Græcorum.	Elif.	ا	ـا	ـا	ا
ב.	b.	Be.	ب	ـب	ـبـ	بـ
ת.	t.	Te.	ت	ـت	ـتـ	تـ
ת̄.	t blæſum.	Thſe.	ث	ـث	ـثـ	ثـ
ג̇.	g Gallicum ante e & i.	Gjim.	ج	ـج	ـجـ	جـ
ח.	hh ex imo pectore tractum.	Hha.	ح	ـح	ـحـ	حـ
כ̄.	ch χ Græcorum cum raſione gutturis.	Cha.	خ	ـخ	ـخـ	خـ
ד.	d.	Dal.	د	ـد	ـد	د
ד̄.	d blæſum.	Dſal.	ذ	ـذ	ـذ	ذ
ר.	r.	Re.	ر	ـر	ـر	ر
ז.	ſ inter duas vocales.	Ze.	ز	ـز	ـز	ز
ס.	ſ initio dictionis.	Sin.	س	ـس	ـسـ	سـ
ש.	ſj velut ch Gall.	Schin.	ش	ـش	ـشـ	شـ

צ.	ts ita tamen ut ſ magis ſonet quam t.	Sád.	ص	ـص	ـصـ	صـ
צ̇.	Idem blæſè.	Dad.	ض	ـض	ـضـ	ضـ
ט.	th vel t in gutture pronunciatum.	Ta.	ط	ـط	ـطـ	طـ
ט̇.	Idem blæſè.	Da.	ظ	ـظ	ـظـ	ظـ
ע.	ע Ebræum.	Ain.	ع	ـع	ـعـ	عـ
ג̄.	g Latinum.	Gain.	غ	ـغ	ـغـ	غـ
פ̄.	f.	Fe.	ف	ـف	ـفـ	فـ
ק.	k in gutture pronunciatum.	Kaf.	ق	ـق	ـقـ	قـ
כ.	k in anteriore oris parte.	Kef.	ك	ـك	ـكـ	كـ
ל.	l.	Lam.	ل	ـل	ـلـ	لـ
מ.	m.	Mim.	م	ـم	ـمـ	مـ
נ.	n.	Nun.	ن	ـن	ـنـ	نـ
ו.	w Germ.	Waw.	و	ـو	ـو	و
ה.	h.	He.	ه	ـه	ـهـ	هـ
י.	j Conſon.	Je.	ي	ـي	ـيـ	يـ

§. 2. FIGURÆ literarum Arabum nonnihil variant pro ratione ſitus & connexionis; quandoquidem omnes ſe alligant præcedenti literæ ligabili, ſubſequenti etiam præter has ſex ا د ذ ر, ز, و & in fine liberiori ductu protrahuntur. In tabella igitur ita propoſitæ ſunt, ut prima facies ſit earum, quæ in principio vocis, inque medio poſt illigabiles uſurpantur; ſecunda earum, quæ in medio poſt & ante ligabiles, reliquarum duarum in fine vocis prior poſt ligabiles, poſterior poſt illigabiles, adhibentur. Separatim exprimendæ figurâ ultimâ illigabili pinguntur. Conſecutio earum in ſcriptione & lectione eſt à dextra verſus ſiniſtram plerorumque Orientalium more. Ebrææ literæ tales adjectæ ſunt, quales à Judæis Arabica Ebraicè ſcribentibus adhibentur. ا literæ ل poſtponendum plerumque cadens ei inſcribitur, h. m. لا; vel coaleſcit cum ea in unam hanc figuram لا, cum ſcil. ō connectitur præcedenti, diciturq; *Lam elif.* Literæ ج ح خ præcedentes annexiles ſupra lineam elevant, ut: أَلْمُخَاطِبُ *alloquens.* Quædam tamen

tamen literæ posteriori vinculô se ad eas attollunt, ut مُعْجَب *admirabilis.* ك ab initio & post illigabiles etiam ita pingitur ک, post ligabiles ک, cum ا, کا; cum ل, کل. Mim interdum unico ductu circulari præcedenti Literæ annectitur, ut: *hh m*, ante & post connexiles; at si inconnexiles, حم; sic, شم, ضم, ... & sic cum cæteris literis. ه adsciscens supernè duo puncta, hoc modo ة, est t; & adhibetur in fine nomin. ad designandum genus fœm. aut pluralem numerum. Je finale interdum retrocedit, hoc modo ـې pro في. Occidentales Arabes seu Mauri τῷ *Kaf* unum tantum punctum imponunt, h. m. ق; unde τῷ *Fe*, ut ab eo discernatur, punctum substernunt, h. m. ڢ. Orientales pro tribus punctis τῷ ش lineolam interdum adhibent, h. m. سٓ vel سٛ: nonnunquam ista tria puncta ei substernuntur, h. m. ښ. Interdum & puncta illa essentialia διακριτικὰ literarum omittuntur, quod quandoque indicatur his notis, ش ص د.

Vincula Litterarum sæpè dilatantur, ut; نـــصـــر; idque vel solius ornatus gratia, vel ad explendum, quod in linea restat, spatium. Non enim vocem ad finem lineæ dividunt Arabes, sed completâ per dilatationem vinculorum lineâ, vox integra ad seq. lineam servatur: interdum divisæ post illigabilem posterior pars aut in margine locatur, aut priori superponitur.

§. 3. POTESTAS literarum (α.) primaria est ipse literarum sonus, prout aliarum linguarum notis characteribus in tabella repræsentatur; quod in plerisque sat commodè fieri potuit, non in omnibus. Præsertim in Gutturalium, & غ ظ ض ذ ث pronunciatione viva vox præeat necesse est. De lit. ن notandum, quod vocali destitutum, ante aliud ن & Gutturales quidem sonet Nun; ante ب verò ut Mim: ut: مِنْ بَيْتٍ *mim-beitin, de domo:* ante reliquas lit. ut n cum g. mixtum, quod g manifestiùs & fortiùs auditur ante ق & ك, ut مِنْ قَلْبِهِ *ming kalbihi, è corde suo.*

 (β) Se-

(β) Secundaria est, quod numerorum notæ sint, eôdem scil. modô, quo Ebręorum literæ; iisdem etiam antiquô Arabum alphabetô in ordine suppares, ut:

ابجدهوزحطي كلمنسعفصقرشتثخ

ذ ض ظ غ. Intermedii eorum combinatione exprimuntur ut apud Ebræos, ut: يا يب يه كا قل غق غغ, &c. Arabes recentiores verò his ab Indis acceptis utuntur, à quibus vulgares nostri, ab Arabibus vicissim accepti, non multum abeunt, ١ ٢ ٣ ٤ ٥ ٦ ٧ ٨ ٩ • Combinatione quoque cum vulgaribus nostris eâdem institutâ, ut: ١. ١١ ١٢٣ ٢. ٣. ٤٥.. Pro (.) interdum usurpatur (∘), & tunc quinarius hanc habet figuram ٥, ut ١٠٠ est 100, ١٥٥ 155.

§. 4. DIVIDUNTUR literæ, 1. *Ratione pronunciationis*, juxta præcipua ejus organa, in Gutturales, ut: اخحعغه; Palatinas, ut: جيقك; Labiales, ut: بومف; Dentales, ut: تدطلن تذظ; Linguales, ut: رزسشصض. Ubi notandum, Dentales & Linguales communiter Solares appellari, reliquas Lunares.

2. *Ratione officii*, in Radicales & Serviles. Serviles his vocibus mnemonicis comprehenduntur يتسمنوا *pinguescent*, & بفلك *in navi:* quarum priores partim formationi vocum, partim consignificationi inserviunt, posteriores semper consignificationi. (*Conf. inf. Cap.* IV. *Sect.* III. *de Formâ Nom. Et Cap.* VI. *Sect.* IV. *de Synt. Partic. conjunct.*) Reliquæ omnes sunt radicales, nisi quod interdum د & ط vicariæ sint τῦ ت servilis, adeòque & ipsæ tunc serviant. *V. inf. Cap.* II. *Sect.* II. §. 3.

3. *Ratione roboris*, in Debiles & Robustas. Debiles sunt اوي, quia inter pronunciandum interdum enervantur & proprium sonum amittunt; quod fit, quoties vocali privatæ (sive radicales sive serviles) immediatè positæ sunt post propriam seu homoge-

neam

neam vocalem; *(V. inf. de Vocal.)* ubi tunc vulgò dicuntur quiescere, & communiter hinc Quiescentes appellantur: post heterogeneas v. vocales quæ ipsarū sit conditio, dicendum erit inf. cap. III. Reg. Gen. II. Robustæ sunt reliquæ omnes, quibus id nunquam accidit.

4. Cum scripta Arabum reperiantur, in quibus Consonantes essentialibus punctis destitutæ sunt; iis meliùs legendis, ut & Arabicis vocibus à Barbaris discernendis, inservire potest hæc distinctio, quâ literæ aliæ sunt compatibiles, aliæ incompatibiles: Incompatibiles, vel quæ conjungi, seu in eâdem dictione se consequi non possunt, sunt; Gutturales حَعْخَغَهْ (interdum tamen ه ع بْ subjungitur,) ك ق غ & ج | ظ ط ض ص س & ث | ت & ث | م ف & ب | س & ز | ظ ض ص & ز | ل & ر | ظ ط ض ص & ذ | ن & د | ك ق ظ & خ | ق غ & ظ | ك ظ & ط | ط ظ & ض | ظ ط ض & ص | ض & ش | ض ص | ن & ل | ك & ق | ك ق & غ si voculam لن exceperis. Serviles a. ex his literis accipiendæ sunt ut radicem constituentes, aliàs n. actu servientes cuivis literæ adjungi possunt; ut: لِرَبِّ, *Domino*. Duæ quoque similes literæ initio dictionis rarissimè concurrunt, nisi prior serviat. Sic & ن vocali destitutum in medio vocis rarò ponitur ante lit. لَوْمبر. Reliquæ omnes sunt compatibiles, quamvis aliæ aliis sæpiùs conjungantur.

SECTIO II.

DE VOCALIBVS.

§. I. Vocalium tabella hæc est:

Fatha بَ Nunc *a* purum & clarum sonat, ut in *amavi*; nunc *a* ad *e* inclinans, quomodo à multis hodie pronunciatur *η* Græcorum.

Damma بُ Nunc purum *u* sonat, (quomodo à Gallis pronunciatur, seu ut Germanorum ů;) nunc cum *o* mixtum, seu o obscurum, ut Germ. ö.

Kesra بِ *i* simplex tantum sonat.

Litera ب singulis vocalibus adjecta est, quo simul situs earum indicetur. Fatha verò & Cesra Occidentalibus planè jacentes pinguntur, h. m. بَ بِ ; quâ conditione Fatha interdum perpendiculariter pingatur, inf. constabit. In pronunciatione consonæ vocalem semper præcedunt, ut apud Ebræos. Valet a. Fatha *a* clarum, & Damma o obscurum, cum ponuntur supra ultimas dictionum literas, aut supra خَضْصَضْ طَظْغَعْقْ ; ut: خَلَقَ ٱللّٰهُ ٱلْعَالَمَ وَكُلَّمَا فِيهِ وَهُوَ لَا خُلِقَ مِنْ أَحَدٍ Chalaka llahô lalema wakôllama fihi wahsa la chôlika min ahadin. id est: *Creavit Deus mundum, & quicquid in eo est; ipse a. non est creatus à quoquam.* Aliàs Fatha sæpè sonat *a* ad *e* inclinans; Damma u purum; quod usu discendum est. At cum vocales post se habent literas ا و ي vocali destitutas, producitur & quasi duplicatur ipsarum vocalium sonus: nim. Fatha habens post se homogeneum sibi ا, sonat *a* longum, seu circumflexum Græcorum; ut, قَارْ *κᾶρ*. Damma post se habens homogeneum و, *u* longum German. vel *ȣ* Græc. ut; قُورْ *κȣ̃ρ*. Cesra habens post se homogeneum ي, *i* longum, seu circumflexum, ut; قِيرْ *κῖρ*. In tali n. statu literæ illæ potestatem suam Consonantis exuunt, ut sup. dictum.

§. 2. Vocales hæ in ultimis Nominum lit. geminantur, & literam ن tunc simul sonant, unde & nunnatæ dicuntur: ut بً, بٌ, بٍ, ban, bon, bin. Et prima quidem geminata vocalis assumit post se ا, ut: بًا: sed si superposita sit literę ة vel הַמְזָה, ا illud ad finem õ assumit.

SECTIO III.

DE NOTIS ORTHOGRAPHICIS.

§. 1. GJEZMA est Nota orthographica hujus figuræ ْ ٥, cujus officium est, indicare, literam illam cui superscribitur, cum præcedente vocali copulandam esse; eòque respondet שְׁוָא Scheva qui-

quiescenti Ebræor. & ejus more efficit syllabam compositam; ut: ضَرْبٌ *darbon*; imponiturque omnibus literis vocali propriâ destitutis. Pariter & وي ا radicales vocali carentes accipiunt Gjesmam, (nisi per aliquam Regularum, de quibus inf. cap. III. vocali privatæ sint;) ut بَأْسٌ, يُولَدُ, لَيْلٌ, ايتسر: sic etiã alterius vicariæ, ut: بؤس, ايثارا. In quibusdam tamen codicibus promiscuè literis اوي quiescentibus Gjezme impositum reperitur.

§. 2. TESDID est Nota orthograph. hujus figuræ ّ (rariùs ٨ ٧;) cujus officium est, literas geminas repræsentare in unâ, ut: نَصَّرَ pro نَصْصَرَ, مَدَّ pro مَدَدَ: & dicitur hoc Tesdid Necessarium, obtinetque jus illud in quibusvis literis geminatis, *(Conf. inf. cap.* III. *Reg. Spec.* IV.*)* non exceptô ا, quod minus rectè alii excipiunt: dicitur n. سَأَّلٌ *reliqua pars*, مُلَأَّمٌ *loricatus*, رَأَّاسٌ, pro quo tamen & رَوَّاسٌ à Rad. رَأَسَ *caput fuit*, مَوْءُومٌ *capito*, جَأَّافٌ *vociferator*, & sic plurima. Sæpè etiam literis non geminatis Euphoniæ causâ Tesdid imponitur, ubi tunc præcedens litera gjezmata vel nunnatio in pronunciando occultatur; ut: اَلرَّبُّ *Errabbo, Dominus.* Quod Tesdid inde Euphonicum dicitur, estque triplex:

1. *Initiale*, quod initialibus literis لومير imponitur post Nun, (sive expressum sit ن cum Gjezma, sive latitet in vocali nunnata,) ut: مِن رَبِّهِ, *mirrabihi, à Domino suo.* قَلْبٌ مُطَهَّرٌ *Kalbommutahharon, cor mundum.* In quibusdam codic. hoc Tesdid non exprimitur, sed ut res notissima præsupponitur.

2. *Deltale*, quod imponitur literæ ت post د, ut: قَصَدْتُّ *Kasatto.* In quibusdam etiam post ذ, quod tunc interdum excidit. Non a. semper & hoc Tesdid exprimitur, ut: أَرَدْتُّ *voluisti.*

3. *Lambdale*, quod post Artic. اَل literis Solaribus imponitur;

tur; ut: أَلشَّمْسُ *aschschamso, Sol. (Quæ Solares sint lit. V. sup. Sect.* I. §. 4.) Et tunc ل Articuli أَلْ sæpè perit ante ل, ut: أَللَّيْلُ pro أَلْلَيْلُ *nox.* Sic semper id perit, (α.) in Pronom. relat. أَلَّذِي pro أَلْلَذِي *qui*, ejusque fœmin. أَلَّتِي & plur. masc. أَلَّذِينَ, non a. in reliquis casibus, quia rariores sunt. (β.) Cum præfigitur Articulo ل Dativi Casus nota, ut pro لِأَللَّيْلِ, fit لِلَّيْلِ *nocti*; ا n. Articuli أَلْ tunc semper simul perit, adeò ut totus Articulus intercidat; sic pro لِأَللّٰهِ fit لِلّٰهِ, *Deo. (Conf. de h. voce insuper seq.* §. 4. *n.* 3.) Literas Tesdid affectas Arabes graves vocant, non affectas leves.

§. 3. HAMZA, Cujus hæc est figura ء, est servus literæ ا mobilis, ut: أَنَّ, أُنَّ, إِنَّ; appositum verò جَزْم ا vocali destituto, indicat, id esse radicale, adeòque naturâ mobile, ut: يَأْمَنُ, unde & nomen ejus جَزْم ا mobili sæpè tribuitur: Interdum & usurpatur pro Elif, idemque in pronunciat. valet; nim. in medio & fine post literam gjezmatam aut aliquã liter. ا. وي. ut: يَسْئَلُ pro يَسْأَلُ: Sic أُوءِلَ, وَبَاءَةٌ, مُوءِم, سُوءِي, مَرْءٍ. In fine verò post ا, وي, semper. ut: مَاءٌ, سُوءٌ, شَيْءٌ. Porrò ء literis و & ي superscriptum, eas vicarias esse جَزْم ا naturâ mobilis indicat. ut: يُؤْمِنُ pro يُأْمِنُ, إِزْرِئْ pro أَلزِّرْ.

§. 4. WESLA est nota orthographica hujus figuræ ٱ, quæ quoties imponitur جَزْم ا initio vocis, privat illud vocali, & unit subsequentem proximè gjezmatam cum vocali vel præcedentis dictionis, ut: قَلْبُ ٱلْمَلِكِ *Kalbolmaliki, Cor Regis. (Conf. cap.* IV. *Sect.* V. §. 9.) vel servilis præfixæ. ut: بِٱبْنِكَ *bibnika, in filio tuo.* بِٱللّٰهِ *billahi, per Deum.* Elif hoc tunc appellatur Elif unionis; & reperitur trifariàm:

1. Quod

1. Quod Imperativo Conjug. primæ præfigitur, ut اضْرِبْ: & quod Præteritis activis, Imperativis, & Infinitivis, Conjugationum secundæ & tertiæ classis, pro characteristica est: *(quod inf. in Schem.Conjug. disces,)* ut اِسْتَنْصَرَ , اِنْصَرَ : diciturq; tunc ا *unionis Verbale.*

2. In his decem Nominibus; اِبْنٌ *filius*, اِبْنُمٌ *idem*, اِبْنَةٌ *filia*, اِمْرُؤٌ *Vir*, اِمْرَأَةٌ *mulier*, اِثْنَانِ *duo*, اِثْنَتَانِ *duæ*, اِسْمٌ *nomen*, اِسْتٌ *nates*, اَيْمُنٌ *juramentum*. Et dicitur *Nominale*.

3. In Articulo اَلْ, ὁ, ἡ, τὸ; & quod huc pertinet, Relativo اَلَّذِي, diciturque *Articulare*. Ubi notandum quod Articulus اَلْ nominibus quibusdam extrudat ا initiale radicale, ut pro اَلْإِلَهُ; اَللَّهُ; & tunc unionis hujus sæpe expers est: ut يَا أَللَّهُ *O Deus!* pro يَا اَللَّهُ. *Conf. de hoc Artic. Cap. IV. Sect. 1. §. 1.*

Nota 1. Omnia ا unionis extra unionem Cesram possident, eamque præcedente vocali nunnatâ in pronunciatione assumunt, licet adscriptam non habeant: ut مَدِينَةٌ اُفْتُتِحَتْ *medinaton iftetahat, urbs capta est.* Excip. Articulare quod Fatham habet, ut & Nominale in أَيْمُنٌ *Iuramentum.* Verbale in Imperativo qua conditione Damma pro Cesra habeat. *V. inf. doctr. de Imperat.*

2. Si τὸ ا unionis præcedat aliqua literarum وى quiescens, ea non obstat unioni: ut نَصَرُوا اَلْمَلِكَ *nasaroul malica, opem tulerunt Regi.*

3. Ob sequens ا unionis quodcunque (α.) Je Affixorum ي, & ني assumit supra se Fatham: ut كِتَابِيَ اَلْعَظِيمُ *liber meus magnus.* (β.) Gjezma præcedentis literæ mutatur in Cesra, ut unio possit fieri: ut ضَرَبَتِ اَلْأُمُّ *darabatilommo, verberavit mater.* At Gjezma

in Particula مِنْ *ab*, in Fatham mutatur: ut مِنَ ٱلْمَلِكِ, *à Rege*: in terminationibus verò his verbalibus تُمْ & وا, itemque Affixis هُمْ & كُمْ mutatur in Damma: ut غَزَوُا ٱلْعَدُوَّ pro غَزَوْا.

Unionis hujus legibus subjici nequit ا ipsô initiô sententiæ positum; cum tunc nulla adhuc præcedat vocalis: nec si post Articulum أَلْ positum sit. *Ob* ا *unionis Artic. nunnationem perire, V. Cap.* IV. *Sect.* V. *§.* 10. *n.* 3.

§. 5. MEDDA, cujus hæc est figura ~, est minister τῶ ا quiescentis ante ء, syllabamque producit: ut سَمَآءٌ *samâon*. Quibus & aliàs literis quandoque imponitur, iis itidem tunc quietem conciliat, *V. inf. Reg. Gen.* II. *m.* 2. Inservit etiam dictionum compendiis, ubi singulæ literæ singulas dictiones repræsentant; idque semper, si una dictio sola sit, primæ literæ; ut ط pro طَرَفٌ *finis*: si plura vocabula sint; vel primis omnibus, vel primi vocab. primæ, medii mediæ, ultimi ultimæ: ut آلٓمٓ pro أَنَا ٱللّٰهُ أَعْلَمُ *Ego sum Deus sapientissimus. Sed V. de hac abbrev. Cl. Dn. Golii Lexic. p.* 143. Sic بسمـ pro بِسْمِ ٱللّٰهِ, *In nom. Dei.*

§. 6. ACCENTUS Arabibus nulli sunt, ut Syris: quæ vero dictionis syllaba sit attollenda, sic observabis. Dissyllaba attollunt penultimam: ut أُنْصُرْ *ónsor*. Polysyllaba antepenultimam: ut يَنْصُرُ *jánsoro*. Exc. Polysyllaborum penult. producitur, si habeat vel Tesdid, vel Gjezmam, vel Meddam, vel aliquam literarum اوي quiescentium: ut غَفُورٌ *gafouron*, أَلرَّبُّ *Errábbo*, بِأَرْضِي *biárdi*. Quæ vero dictiones per ا unionis combinantur, earum ultima tantùm attenditur: ut بِسْمِ ٱللّٰهِ *bismillahi*.

§. 7. DISTINCTIONUM tum majorum tum minorum communiores notæ sunt hæ: ۞ ★ ۩ . Rariùs & literarum characteres ه, ن, ط, ج, item *&c*.

GRAMMATICÆ ARABICÆ

CAPUT SECUNDUM, DE VERBO.

VERBUM est vel *Ἀνάλογον Regulare* seu perfectum; quod nim. communem typum Conjugationum (quod est verbum نَصَرَ) sequitur: vel *Ἀνώμαλον Irregulare*, seu imperfectum; quod vel aliquam literarum اوي radicalem, vel secundam tertiæ similem habet. De illo priùs agemus; de hoc inferiùs, *Cap.* III. *de Lit.* اوي *natura & permutat.* Considerantur a. in Verbo, tùm Conjugationes, tùm Tempora; eorumque formationes. Conjugationes Arabes numerant XIII; quarum singulæ duplicem formam & Activam & Passivam habent: exceptis nonâ & undecimâ, quæ Passivum non agnoscunt.

SECTIO I.

DE CONIVGATIONIBVS ACTIVIS.

§. 1. Prima Conjugatio Activa nuda & simplex est omni charactere destituta: ut نَصَرَ *Adjuvit.* Quomodo a. analoga ejus in singulis Temporibus, nim. Præterito, Futuro, Imperativo, Participio, & Infinitivo, inflexio instituatur, tàm per punctorum ordinationem, quàm Literarum servilium أتين & يونا adjectionem; ex ipso Paradigmate commodissimè discitur. Cùm n. pleraque cum Ebraismo congruant, & tanquam communissima omnium linguarum Orientalium jam antè utcunque nota sint, multas regulas de his pertexere nihil attinet; cùm nihilominùs Paradigma ipsum quam promptissimè memoriæ includendum sit, ut in prima statim intentione flexio cujusvis Temporis, Numeri, & Personæ exinde ultrò se offerat. Interim quæ peculiariter notanda sint, quæque Temporum sit formatio, inf. speciatim docebitur.

Paradigma Primæ Conjugationis Activæ.

PRÆTERITUM.

Pluralis. Fœm.	Masc.	*Dualis.* Fœm.	Masc.	*Singularis.* Fœm.	Masc.	
نَصَرْنَ	نَصَرُوا	نَصَرَتَا	نَصَرَا	نَصَرَتْ	نَصَرَ	3. Persona.
نَصَرْتُنَّ	نَصَرْتُمْ	Com.	نَصَرْتُمَا	نَصَرْتِ	نَصَرْتَ	2.
Com.	نَصَرْنَا			Com.	نَصَرْتُ	1.

FUTURUM.

Pluralis. Fœm.	Masc.	*Dualis.* Fœm.	Masc.	*Singularis.* Fœm.	Masc.	
يَنْصُرْنَ	يَنْصُرُونَ	تَنْصُرَانِ	يَنْصُرَانِ	تَنْصُرُ	يَنْصُرُ	3. Persona.
تَنْصُرْنَ	تَنْصُرُونَ	Com.	تَنْصُرَانِ	تَنْصُرِينَ	تَنْصُرُ	2.
Com.	نَنْصُرُ			Com.	أَنْصُرُ	1.

IMPERATIVUS.

Pluralis. Fœm.	Masc.	*Dualis.* Com.	*Singularis.* Fœm.	Masc.	
أُنْصُرْنَ	أُنْصُرُوا	أُنْصُرَا	أُنْصُرِي	أُنْصُرْ	2.

PARTICIPIUM.

Pluralis. Fœm.	Masc.	*Dualis.* Fœm.	Masc.	*Singularis.* Fœm.	Masc.
نَاصِرَاتٌ	نَاصِرُونَ	نَاصِرَتَانِ	نَاصِرَانِ	نَاصِرَةٌ	نَاصِرٌ

INFINITIVUS.

نَصْرًا

§. 2. Ad hanc formam & omnes reliquæ Conjug. Activæ (observatis insuper observandis) inflectuntur, certis literis Characteristicis à se invicem distinctæ, quæ proinde in tres sequent. classes dispesci possunt.

Schema

Schema reliquarum Conjugat. Activarum.

Prima Classis unum tantum sumit characterem nim. vel lit. servilem vel Tesdid.

Infinitivus.	*Particip.*	*Imperat.*	*Futurum.*	*Praeterit.*	Conjug.
تَنْصِيرًا	مُنَصِّرٌ	نَصِّرْ	يُنَصِّرُ	نَصَّرَ	2.
مُنَاصَرَةً	مُنَاصِرٌ	نَاصِرْ	يُنَاصِرُ	نَاصَرَ	3.
اِنْصَارًا	مُنْصِرٌ	أَنْصِرْ	يُنْصِرُ	أَنْصَرَ	4.

Secunda Classis duos sumit characteres; sc. vel duas serviles, vel serv. cum Tesdid.

Infinitivus.	*Particip.*	*Imperat.*	*Futurum.*	*Praeterit.*	Conjug.
تَنَصُّرًا	مُتَنَصِّرٌ	تَنَصَّرْ	يَتَنَصَّرُ	تَنَصَّرَ	5.
تَنَاصُرًا	مُتَنَاصِرٌ	تَنَاصَرْ	يَتَنَاصَرُ	تَنَاصَرَ	6.
اِنَّصَارًا	مُنَّصِرٌ	اِنَّصِرْ	يَنَّصِرُ	اِنَّصَرَ	7.
اِنْتِصَارًا	مُنْتَصِرٌ	اِنْتَصِرْ	يَنْتَصِرُ	اِنْتَصَرَ	8.
اِنْصِرَارًا	مُنْصَرٌّ	اِنْصَرِرْ	يَنْصَرُّ	اِنْصَرَّ	9.

Tertia Classis tres sumit charact. nim. vel tres serviles; vel duas serv. cum Tesdid, aut cum media geminatâ.

Infinitivus.	*Particip.*	*Imperat.*	*Futurum.*	*Praeterit.*	Conjug.
اِسْتِنْصَارًا	مُسْتَنْصِرٌ	اِسْتَنْصِرْ	يَسْتَنْصِرُ	اِسْتَنْصَرَ	10.
اِنْصِيرَارًا	مُنْصَارٌّ	اِنْصَارِرْ	يَنْصَارُّ	اِنْصَارَّ	11.
اِنْصِيصَارًا	مُنْصَوْصِرٌ	اِنْصَوْصِرْ	يَنْصَوْصِرُ	اِنْصَوْصَرَ	12.
اِنْصِوَّارًا	مُنْصَوِّرٌ	اِنْصَوِّرْ	يَنْصَوِّرُ	اِنْصَوَّرَ	13.

Quomodo serviles characteristicæ, & vocales in temporibus derivatarum harum Conjugationum inter se varient, inf. in expositione cujusque Temporis speciatim indicabitur.

SECTIO. II.

Annotationes quædam ad Conjugationes.

§. 1. Radix ordinariè est trilitera; de quadriliteris igitur Conjugat. dicemus in fine hujus Cap. propositô ibidem simul universô eorum schemate.

§. 2. Coalescunt per Tesdid (α.) in septima Conjugat. prima radicalis ن cum præfixa servili characteristica ن, ut انّصر pro اننصر: (β.) in octava Conjugat. primæ radicales ث ت nec non ا و ي cum subsequente servili characteristica ت: ut اتّبت pro اتتبت, اتّخذ pro ااتخذ. Exc. و & ي interdum non coalescunt cum illa servili, sed manent, vocali præcedenti, si fortè heterogenea sit, sese accommodantes: ut ياتعد pro يوتعد, ايتعد pro اوتعد.

§. 3. In octava Conjug. si primæ Radicales sint ص ض ط ظ characteristica servilis ت mutatur in ط: ut اصطبغ pro اصتبغ *intingi*: Si primæ radicales sint د ذ ز, eadem characterist. mutatur in د: ut pro ازتلق fit ازدلق *prolabi*. Et in omnibus his fit coalitio per Tesdid, quoties geminæ concurrunt: ut اطّبع pro اططبع *quorum posterius stat pro* ت; ubi notandum, quod د & ذ, ط & ظ tunc pro geminis habeantur, coalitione in alterutra factâ: ut ادّكر & اذّكر pro اذدكر, quô ipsô tamen postremô modô sæpè utrumque ذ & د salvum manet: interdum characteristica د etiam cum ز radicali coalescit; ut ازّلق pro ازدلق. Sic اظّلم pro اظطلم, ط *pro* ت *existente. &c.*

§. 4. Tertiæ Radicales ن & ت gjezmatæ in omnibus Conjugationibus coalescunt cum subsequente ن vel ت servili per Tesdid:

Teſdid : ut سَكَتَّ pro سَكَتْتَ *tacuiſti*, زَيَّنَّا pro زَيَّنْنَا *ornavimus*.

§. 5. Cùm in Conjug. nonâ, (& eâ quæ ad hanc refertur quadriliterorum Conjugatione, *de qua inf. Sect.* IX.) & undecimâ, tertia radicalis dageſſetur per Teſdid, *(V. Schema,)* reſolvit illa ſe in ſuas geminatas, quandocunq; formatio in eadem Gjezmam requirit: ut اِصْغَرَّ in ſecunda Perſona اِصْغَرَرْتَ pereunte Teſdid. Attamen in Futuro & Imperativo quoties dageſſata ultima afficienda eſt Gjezmâ, liberè vel reſolvitur in ſuas geminatas per Ceſra; ut اُنْصُرْ *(Imperativus à Fut.* يَنْصُرُ); vel retinet Teſdid, & ad hoc ſuſtinendum ſumit Fatha vel Ceſra, *(quemadmodum fit in Verbis ſecundam radic. tertiæ ſimilem habentibus, de quibus inf.)* ut اِصْغَرِرْ & اِصْغَرَّ vel اِصْغَرِّ : ſic in Fut. gjezmato ; لَمْ يَصْغَرِرْ & يَصْغَرَّ vel يَصْغَرِّ. Pariter in Conj. ult. quadrilit. اِقْمَطْرِرْ & اِقْمَطَرَّ vel اِقْمَطَرِّ.

§. 6. *Significationem* prima Conjugat. habet nudam & ſimplicem; prout à prima ſua origine eſt, vel tranſitiva, ut كَتَبَ *ſcripſit*; vel intranſitiva, ut حَزِنَ *triſtatus eſt*. Ubi ſimul obſervabis, verba ejuſdem organi radicales habentia frequenter cognatæ eſſe ſignificationis. Reliquæ derivatæ eandem primitivam ſignificationem non rarò retinent, imprimis ſi verbum in prima Conjug. non ſit in uſu. Alioquin

§. 7. Secunda & quarta Conjug. à primitivis ſuis intranſitivis habent ſignificationem tranſitivam; à primitivis vero tranſitivis, aliam tranſitivam in ſecundum ſubjectum; ut ضَرَبَ *verberavit*: ضَرَّبَ & أَضْرَبَ *verberare alium fecit*. Aliàs Teſdid plerumque Verbi ſui ſignificationem intendit. Secunda etiam ſæpè ſignificat, aliquid pro eo haberi, quale in Conjug. prima eſſe dicitur: ut

صَدَقَ

صَدَقَ *verax fuit*; in Conjug. secunda, صَدَّقَ *pro verace habuit.*

§. 8. Tertia & sexta Conjugat. notant actionem mutuam, sicuti Latinorum & Græcorum composita per con, & σὺν: ut بُطْرُسُ قَاعَدَ بُولُسَ *Petrus sedet cum Paulo.*

§. 9. Quinta, septima, & octava Conjug. formant absoluta, passivæ significationi affinia: & quidem quinta & septima à secunda Conjugat., octava à prima Conjug. ut عَلَّمْتُهُ وَهُوَ تَعَلَّمَ *docui eum & ipse doctus fuit, vel didicit.* قَصَّرْتُ ذٰلِكَ فَٱنْقَصَرَ, *abbreviavi hoc, & sivit se abbreviari.* Sæpè etiam octava Conjug. petitionem significat: ut جَابَ *respondit*, in octava Conjug. اِجْتَابَ *responsum petiit.*

§. 10. Nona & undecima Conjug. formant absoluta seu intransitiva colorum & deformitatum, cum intensione; hæc majori, illa mediocri: ut اِصْفَرَّ *valde flavus fuit:* اِصْفَارَّ *multò flavissimus fuit.*

§. 11. Decima petitionem significat: ut à طَعِمَ *edit, gustavit,* اِسْتَطْعَمَ *cibum petiit.*

§. 12. Duæ ultimæ sicuti rarissimæ sunt, ita vel significationem verbi simplicem retinent, vel saltem eam intendunt.

§. 13. Si quæ harum aliam significationem obtinent, ex usu & Lexicis id discendum; quemadmodum etiam, in quibus Conjug. verbum quodque in usu sit. Quædam enim in una sola Conjugat. usurpantur, multa in pluribus, nulla in omnibus.

Et hactenus de Conjugat. Activis in genere; sequitur jam de earum Temporibus, horumque tum significationibus, tum formationibus.

SECTIO III.

DE PRÆTERITO ACTIVO.

§. 1. *Significatio* Præteriti per Particulas إِنْ *si,* إِذَا *cum*, & similes, sæpe etiam sine iis, mutatur in significationem modò Præsentis,

ſentis, modo Imperfecti, modò Pluſquamperfecti. Sic cum لَوْ notat vel Imperfectum, vel Pluſquamperfectum: ut لَوْ عَلِمْتُ *ſi ſcirem*, vel, *ſi ſciviſſem:* cumque tali enunciationi ſubjungitur alia affirmativè ei reſpondens, eidem poſteriori præfigitur لَ cum Fatha, ut, *ſi ſcirem,* لَنَصَحْتُكَ *monerem te; vel ſi ſciviſſem, monuiſſem:* ſi v. negativè ei reſpondens ſubjungitur, uſurpatur Futurum cum لَمْ, nec لَ prius aſſumitur; ut لَوْ كُنْتَ هَاهُنَا لَمْ يَمُتْ أَخِي *Si fuiſſes hic, non mortuus eſſet Frater meus.* Pluſquamperfectum formatur aliàs præmiſſô verbô كَانَ *fuit:* quod in eodem genere tùnc & eâdem perſonâ ponendum eſt, quâ verbum illud, cui apponitur: ut كَانُوا قَالُوا *dixerant.*

§. 2. Præteriti Activi literæ *radicales* in omnibus Conjugat. ubique habent Fatha, niſi ubi formatio Gjezmam, aut in ult. وَ afformativum requirit: quod diſces è Paradigmate & Schem. Conjugationum. Quæ ſervilium afformativorum ratio ſit, indidem commodiſſimè obſervatur. At in prima Conjug. media radicalis interdum recipit Ceſra, rariùs Damma, idque non niſi in Intranſitivis: ut حَسُنَ *bonus fuit.* In quibuſdam Verbis Fatha, Keſra, Damma, ſimul locum habent: ut وَعَرَ & وَعِرَ & وَعُرَ *difficilis ſuperatu fuit*: ſic وَقَحَ & وَقِحَ & وَقُحَ. *Quæ omnia ex uſu obſervare nihil difficultatis habet; ut enim in omnibus linguis, ita & in hâc ſunt, quæ ad uſum & exercitium linguæ remittere oportet; quod quandoque fælicius fit, quam per præcepta; in iis præſertim, quæ nullis conditionum aut variarum commutationum tricis implicita ſunt, adeòque aditum ad uſum linguæ non intercludunt.*

SECTIO IV.

DE FUTURO ACTIVO.

§. 1. *Significatio* Futuri quandoque noſtrum vel Præſens, vel Futurum exprimit, quod contextus facilè oſtendet. Futuri ſigni-

gnificationem ferè ſemper obtinet poſt particulas سِ , سَوْ , سَيْ , سَفْ , سَوْفَ ; item لَنْ *nequaquam*, & plerunque etiam لَا *non:* ut لَا يَضْرِبُ *non verberabit.* At مَا *non,* frequentiùs Præſentis ſignificationem ei indit: ut مَا أَعْلَمُ *non ſcio*; لَيْسَ utramq;. Præteriti ſignificationem ei tribuunt partic. لَمْ *non,* & لَمَّا *nondum*: ut لَمَّا يَخْرُجْ *nondum egreſſus eſt.* Imperfecti Indicativi ſignificationem ei tribuit Verbum Subſtantivum كَانَ, ut كَانَ يَجْلِسُ *ſedebat:* Imperfecti a. Conjunctivi, cum Verbo كَانَ præmittitur particula لَوْ *ſi*, & tunc reſpondenti ei Verbo itidem præmittitur Verbum كَانَ præfixum habens لَ cum Fatha: ut لَوْ كُنْتَ تَعْرِفُهُ لَكُنْتَ تُحِبُّهُ *ſi noſceres eum, amares eum.* Sic per Conjunctivum exponitur cum particula أَنْ atque aliis idem ſignificantibus: ut أُرِيدُ أَنْ تَكْتُبَ *Volo ut ſcribas.*

§. 2. Futurum Activum *formatur* à Præterito Activo, adjectis præformantibus literis أَتَيْنَ, quæ in omnibus Conjugationibus habent Fatha, præter ſecundam, tertiam, & quartam Conj. in quibus habent Damma; & afformantibus يُونَا, quæ in omnibus Conj. ſic ſuffiguntur, ut in Paradigmate oſtenditur: niſi fortè Apocope, Antitheſis, aut Paragoge Nun in fine ſerviens auſferant; de quo mox inf. Porrò de forma Fut. notentur ſequentia.

§. 3. *Prima radicalis Fut.* pariter ſe habet ut Præteriti, tàm quoad radicales, quam adjectas characteriſticas Conjugationum; niſi quod in prima Conjug. pro Fatha Præteriti ſumit Gjezmam; *(V. Paradig.)* & in reliquis Conjug. *τὸ* ا Præteriti initiale characteriſt. omittit; quod Imperativus reſumit: *(V. inf. de Imper.)* Pariter litera ت characteriſt. Conjugationis quintæ & ſextæ poſt præfixum

xum ت literarum اتين, interdum abjicitur: ut تُكَسَّرُ pro تَتَكَسَّرُ, à Præterito تَكَسَّرَ.

§. 4. *Secunda radicalis Fut.* itidem se habet ut in Præterito unà cum characteristicis Conjugationum: nisi quod

1. In prima Conj. ferè contrariè se habet, dum
   - α. pro Fatha Præt. sumit vel
     - Cesra: ut يَضْرِبُ, à Præter. ضَرَبَ: atque hoc plerumque, cum med. vel ultima radicalis est ي; semper, cum prima radic. est و, (ita tamen ut ultima non sit ع,) paucisſ. exceptis.
     - Damma, ut يَكْتُبُ à Præt. كَتَبَ: & hoc plerunque, cum media vel ult. radic. est و. Sic med. geminatam habentia semper ferè vel Damma vel Cesra sumunt, at illud frequentiùs.
     - Fatham interdum retinet; & hoc plerumque cum media vel ult. radicalis est gutturalis: ut يَمْنَحُ à Præter. مَنَحَ. Quod imitantur etiam pauca alia.
   - β. Pro Cesra Præt. sumit Fatham: ut يَفْرَحُ à Præt. فَرِحَ idq; semper ferè cum med. vel ult. radicalis est و vel ي: ut يَرْضَي, (*ubi* ي *Damma suô caret sec. reg. Gen.* v.) cum verò prima radicalis est و, interdum Cesra Præteriti in Fut. manet: ut يَرِثُ (*quod est pro* يَوْرِثُ *Sec. Reg. Spec.* 1.) à Præt. وَرِثَ: يَمِقُ à وَمِقَ. Sic in his septem; نَعِمَ, *jucundus fuit,* حَسِبَ *putavit,* يَئِسَ *desperavit,* يَبِسَ *aruit,* فَضِلَ *excelluit,* قَنِطَ *desperavit,* عَرِضَ *recessit,* modo Cesra Præt. manet, modò Fatha pro eô assumitur.

2. In Conjug. 2. 3. 4. 7. 8. 10. perpetuò habet Cesra, ut patet in Schem. Conjug. Sic posterior geminatæ med. radic. in Conjug.

duo-

duodecima, & و servile characteristicum Conjug. decimætertiæ pro Fatha Præt. sumit Cesram, *Conf. Schema.*

§. 5. *Tertia radicalis* in omnibus Conjugat. habet Damma; quæ tamen terminatio sæpè variatur trifariàm: nim. vel Apocope, vel Antithesi, vel Paragoge.

§. 6. *Apocope* gjezmat Futurum, id est, tollit Damma ejus finale; ut & Nun in fine serviens, præterquam in Fœmin. plural. adeò ut forma sit plane Ebræa: ut

Pluralis.		*Dualis.*		*Singularis.*			
Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.		
يَنْصُرْنَ	يَنْصُرُوا	تَنْصُرَا	يَنْصُرَا	تَنْصُرْ	يَنْصُرْ	3.	Persona.
تَنْصُرْنَ	تَنْصُرُوا	Com.	تَنْصُرَا	تَنْصُرِي	تَنْصُرْ	2.	
Com.	نَنْصُرْ			Com.	أَنْصُرْ	1.	

Causat autem Apocopen hanc influxus particularum quarundam; nim. لَمْ *non,* لَمَّا *nondum,* لَا *ne,* & لِ Imperativum, *de quo mox inf.* Hæc verò particulæ إِنْ *si,* مَا *quicquid,* مَنْ & أَيّ *quicunque,* أَنَّى & أَيْنَ & حَيْثُمَا *ubicunque,* كَيْفَ *quandocunque,* مَتَى *cùm,* اِذْمَا & أَيَّانَ & اِذَا *idem,* apocopen hanc eâ tantùm lege causant, si aliud verbum statim sequatur, priori quasi retributivè respondens: ut مَتَى تَجْلِسْ أَجْلِسْ *cum sedebis, sedebo.*

Sic Apocopen eandem causat & Imperativus, particulam إِنْ quasi inclusam habens: ut أُنْصُرْنِي أَنْصُرْكَ *Adjuva me, adjuvabo te,* quod idem est ac *si adjuvabis me, adjuvabo te.*

§. 7. *Antithesis* nasbat Futurum, id est, mutat Damma ejus finale in Fatha, itidemq; tollit Nun in fine serviens, præterquam in Fœm. plur.: ut.

Plura-

Pluralis.		Dualis.		Singularis.		
Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Persona.
يَنْصُرْنَ	يَنْصُرُوا	تَنْصُرَا	يَنْصُرَا	تَنْصُرُ	يَنْصُرُ	3.
تَنْصُرْنَ	تَنْصُرُوا	Com.	تَنْصُرَا	تَنْصُرِي	تَنْصُرُ	2.
Com.	نَنْصُرُ			Com.	أَنْصُرُ	1.

Antithesin pariter causant particulæ quædam; ut لَنْ *nequaquam*, لِ *ut*, أَنْ *idem*, كَيْ *idem*, & horum composita: لِأَنْ *ut*. لِكَيْ & كَيْلَا *idem*, أَلَّا & لِئَلَّا *ne*, حَتَّى *ut*, vel *donec*, أَوْ *ut*; sic إِذَنْ vel إِذًا *benè, age*, positum nim. initiô sententiæ, & proximè (vel intercedente saltem, juramentô, vocatione, aut negatione,) ante Futurum: ut إِذًا أَنْصُرَكَ *benè, juvabo te.* (ita ut Futurum rem futuram significet;) præfixâ autem eidem copulâ وَ vel فَ, rariùs influit. Aliàs Antithesin etiam causant copulæ فَ, nec non وَ significans *& simul*, cum scil. præfixæ sunt Futuro respectum habenti ad præcedentem enunciationem; ut لَا تَضْرِبْ فَيَغْضَبَ *ne verbera, & irascetur*; id est, *ne irascatur.*

§. 8. *Paragoge* adjicit Futuro fathato Nun fathatum cum Tesdid, h. m:

Pluralis.		Dualis.		Singularis.		
Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Persona.
يَنْصُرْنَانِّ	يَنْصُرُنَّ	تَنْصُرَانِّ	يَنْصُرَانِّ	تَنْصُرَنَّ	يَنْصُرَنَّ	3.
تَنْصُرْنَانِّ	تَنْصُرُنَّ	Com.	تَنْصُرَانِّ	تَنْصُرِنَّ	تَنْصُرَنَّ	2.
Com.	نَنْصُرَنَّ			Com.	أَنْصُرَنَّ	1.

Vel adjicit eidem Nun gjezmatum sine Tesdid; sed hoc tantum in

in singulari numero, & plurali masculino ac communi; in hunc modum:

Pluralis. Masc.	*Singularis.* Fœm.	Masc.		
يَنْصُرْنَ	تَنْصُرْ	يَنْصُرْ	3.	Persona.
تَنْصُرُوا	تَنْصُرِي	تَنْصُرْ	2.	
نَنْصُرْ	Com.	أَنْصُرْ	1.	

Nota. 1. Afformativa يْنَ & وْنَ hìc planè pereunt, servatâ in præcedente literà vocali. At in Fœmin. plur. servatur Nun finale serviens unà cum vocali, postpositô eidem ا, ne duo Nun concurrant, ut patet in Paradigmate. 2. In Duali & Fœmin. plurali Nun paragogicum est cesratum.

Paragogen similiter causat influxus particularum quarundam هَلْ, *an*, لَا *ne*, لَيْتَ *utinam*, & præfixum لِ cum Cesra; adhibeturque in votis, interrogationibus, & præceptionibus, nec non præmissô juramentô: ut وَاللّٰهِ يَنْصُرَنَّ *per Deum, juvabit.*

SECTIO V.
DE IMPERATIVO.

§. 1. *Significatio* Imperativi eadem est cum nostro Imperativo, nisi quod affirmativè tantummodo usurpetur, non negativè. Præcepta igitur negativa fiunt per Futurum præmissâ particulâ لَا *ne*; ut لَا تَضْرِبْ *ne verberes.* Cum Passiva Imperativum non agnoscant, pro Imperativo Passivo, ut & reliquis personis Imperativi Activi, (cùm secundam tantùm habeat,) usurpatur Futurum præfixo لِ cum Cesra: ut لِيُنْصَرْ, *adjuvetur*, & لِيَنْصُرْ *adjuvet*; لِنَنْصُرْ, *adjuvemus.* Quin pro ipsa quoque secunda Persona Imperativi sic adhibetur Futurum: ut لِتَنْصُرْ *adjuva.* Excidente

ubique

ubique Cesrâ literæ ل, cùm præfigitur و vel ف: ut فَلْيَنْصُرْ *& adjuvet.* Quin & ipsa lit. ل tunc interdum excidit, sed influit tamen.

§. 2. Imperativus *formatur* à Futuro gjezmato, literâ Etan sublatâ; ut نْصُرْ à يَنْصُرْ. Eidem & Nun paragogicum pari modo accidit quô Futuro, cum Tesdid vel sine eo: ut

Pluralis. Fœm.	*Pluralis.* Masc.	*Dualis.* Comm.	*Singularis.* Fœm.	*Singularis.* Masc.	
أُنْصُرْنَانِّ	أُنْصُرُنَّ	أُنْصُرَانِّ	أُنْصُرِنَّ	أُنْصُرَنَّ	2.
			Et sine Tesdid.		
	أُنْصُرُنْ		أُنْصُرِنْ	أُنْصُرَنْ	2.

§. 3. In prima Conjug. præponitur ei ا unionis, quod regulariter Cesra possidet: ut اِضْرِبْ *Verbera.* Cum vero media radicalis habet Damma, ipsum quoque ا Damma accipit; ut أُنْصُرْ. Hoc autem ا unionis primæ Conjug. excidit interdum, præfixâ copulâ و vel ف: ut وَأْمُرْ pro وَاُؤْمُرْ *(manente radicali.)* Sic semper excidit, cum sequitur immediatè vocalis: ut قُلْ pro أُقْوُلْ; (*Conf. Reg. Spec.* 11.*m.*2.) مُدَّ pro أُمْدُدْ. (*Conf. Reg. Spec.* IV.)

§. 4. In quibus Conjug. ا initiale characteristicum Præteriti in Futuro abjectum est, in Imperativo rursus assumitur: & quidem in Conjug. quarta cum ea vocali, quam habuit in Præterito: ut أَنْصِرْ; ubi non est putandum formare Imperativum aut unionis esse: at in Conjugationibus posteriorum duarum classium redit cum Cesra, ubi iterum ا unionis est, (*Conf. Cap.* 1. *Sect.* III. §. 4) ut اِنْتَصِرْ, اِنَّصِرْ &c.

§. 5. Primam radicalem ا Imperativus abjicit in his verbis, أَخَذَ *Accepit,*

Accepit, أَكَلَ *Edit,* أَمَرَ *Iuſſit:* ut خُذْ , كُلْ , مُرْ. Rarius tamen redit prima radicalis; ut أُوكُلْ (*quod eſt pro* أُؤْكُلْ *ſec. Reg. Gen.* 11.) ſic pro أُؤْمُرْ , أُومُرْ.

SECTIO VI.

DE PARTICIPIO.

Participia omnia tàm Activa quàm Paſſiva omnium Conjugationum eandem formam habent cum Futuro ſuo, mutato tantum Etan Futuri in Mim dammatum, & ultimâ nunnatâ: his duabus tamen annotationibus inſuper obſervatis:

Nota (1.) In prima Conjug. Participium Activum (*ſec. Paradig.*) formam habet نَاصِرٌ; Paſſivum formam مَنْصُورٌ: نَصِيرٌ & نَصُورٌ modò activè modò paſſivè ſignificant. (2.) In quinta & ſexta Conjug. Activa, med. radicalis Participii ſumit Ceſra, cum tamen Futurum Fatham Præteriti ibi retinuerit: ut in quintâ, مُتَنَصِّرٌ; & in ſextâ, مُتَنَاصِرٌ *Conf. Futuri Schema:* quod eodem quoque modo fit in quadrilit. quintæ & nonæ Conjug. *V. inf. Sect.* IX.

SECTIO. VII.

DE INFINITIVO.

§. 1. Infinitivus *ſignificatione* non reſpondet noſtro; ſed ceu Nomen verbale caſibus variabile, intendendæ ſignificationis ergò Verbo ſuo apponitur ſub terminatione caſus Accuſativi, perque Gerundium in *do* utcumque exponi poteſt: ut قَتَلَهُ قَتْلًا *Occidit eum occidendo.* (*Noſtrum Infinitivum tàm Activ. quam Paſſivum quomodo exprimant Arabes, dicetur inf. in Synt. Cap.* VI. *Sect.* I. §. 3.)

§. 2. *Forma* Infinitivi Conjug. primæ in Verbis Tranſitivis eſt نَصْرًا: in Intranſitivis, ſi med. radicalis in Præt. habet Fatham

نُصُورًا

نَصُورًا; si Cesram, نِصْرًا; si Damma, نُصُورَةً vel نُصَارَةً. Sed præter has plurimæ aliæ dantur formæ Infinit. primæ Conjug. numeranturque à Grammaticis in universum XXXIII. nempe:

1.	نَصْرًا	8.	نُصَارًا	15.	نُصَارَةً	22.	نِصْرَانًا	29.	نُصُورَةً
2.	نُصْرًا	9.	نِصَارًا	16.	نِصَارَةً	23.	نَصَرَانًا	30.	مَنْصَرًا
3.	نِصْرًا	10.	نَصْرَةً	17.	نَصْرَى	24.	نُصُورًا	31.	مَنْصَرَةً
4.	نَصَرًا	11.	نُصْرَةً	18.	نُصْرَى	25.	نُصِيرًا	32.	مَنْصِرًا
5.	نُصُرًا	12.	نِصْرَةً	19.	نِصْرَى	26.	نَصِيرًا	33.	مَنْصِرَةً
6.	نِصَرًا	13.	نَصَرَةً	20.	نَصْرَانًا	27.	نَصِيرَةً		
7.	نَصَارًا	14.	نَصَارَةً	21.	نُصْرَانًا	28.	نُصُورًا		

Reliquis Conjugationibus proprii cuique sunt Infinitivi, qui aliquomodo imitantur suorum Præteritorum naturam; insertô plerumque ante ultimam radicalem ا servili, & suffixô in fine ا aut pro eo ة, ut in Schem. proponitur: licet nonnulla verba per specialissimam anomaliam formas istas pluribus modis varient, tam per puncta quam literas serviles; ita ut pro forma تَنْصِيرًا *Infinit. secundæ Conjugationis*, interdum quoque fit تَنْصِرَةً, تَنْصَارًا, نِصَارًا, نِصَّارًا, نِصَّارًا: sic pro مُنَاصَرَةً *Infinit. Conjug. tertiæ*, نِصَارًا, vel نِيصَارًا: pro إِنْصَارًا *Conjug. quartæ*, interdum licet rariùs نُصَارًا, aut نُصَارَةً. Quin idem sæpe verbum plures formas Infinitivi habet: sunt enim Infinitivi nihil aliud quam Nomina verbalia, quæ in omnibus linguis omnigenas formas sortiuntur, quæ usus rectiùs quam præcepta docebunt.

SECTIO VIII.

DE CONIVGATIONIBVS PASSIVIS.

Paradigma primæ Conjugationis Paßivæ.

PRÆTERITUM.

Pluralis.		*Dualis.*		*Singularis.*			
Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.		
نُصِرْنَ	نُصِرُوا	نُصِرَتَا	نُصِرَا	نُصِرَتْ	نُصِرَ	3.	Perso-na.
نُصِرْتُنَّ	نُصِرْتُمْ	Com.	نُصِرْتُمَا	نُصِرْتِ	نُصِرْتَ	2.	
Com.	نُصِرْنَا			Com.	نُصِرْتُ	1.	

FUTURUM.

Pluralis.		*Dualis.*		*Singularis.*			
Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.		
يُنْصَرْنَ	يُنْصَرُونَ	تُنْصَرَانِ	يُنْصَرَانِ	تُنْصَرُ	يُنْصَرُ	3.	Perso-na.
تُنْصَرْنَ	تُنْصَرُونَ	Com.	تُنْصَرَانِ	تُنْصَرِينَ	تُنْصَرُ	2.	
Com.	نُنْصَرُ			Com.	أُنْصَرُ	1.	

PARTICIPIUM.

Pluralis.		*Dualis.*		*Singularis.*	
Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.	Fœm.	Masc.
مَنْصُورَاتٌ	مَنْصُورُونَ	مَنْصُورَتَانِ	مَنْصُورَانِ	مَنْصُورَةٌ	مَنْصُورٌ

Juxta

Juxta hanc inflexionem primæ Conjugationis passivæ, omnes reliquæ Passivæ informantur & conjugantur; estque hoc earum Schema:

Particip.	*Futur.*	*Prat.*		*Particip.*	*Futur.*	*Prat.*	Conjug.
منصر	ينصر	أنصر	7.	منصر	ينصر	نصر	2.
منتصر	ينتصر	أنتصر	8.	مناصر	يناصر	نوصر	3.
مستنصر	يستنصر	أستنصر	10.	منصر	ينصر	أنصر	4.
منصوصر	ينصوصر	أنصوصر	12.	متنصر	يتنصر	تنصر	5.
منصور	ينصور	أنصور	13.	متناصر	يتناصر	تنوصر	6.

§. 1. PRÆTERITUM PASS. planè coincidit cum Præt. Activo in omnibus Conjugationibus; nisi quod hìc media radicalis ubique habet Cesra, & præcedentes literæ ubique pro Fatha vel Cesra Præteriti Activi habent Damma: ubi post damma ا se accommodat substituendo pro se و; *sec. Reg. Gen. II. Nonam v. & undecimam Conjug. passivum non agnoscere, è superioribus jam notum erit.*

§. 2. FUTURUM PASSIVUM itidem coincidit cum Fut. Activo; nisi quod med. radicalis ubique habet Fatham, & prima præformativa semper Damma: *ut videre est in propos. schemate.*

Quantum ad Participia, de iis jam sup. sat dictum, p. 24. Imperativum & Infinitivum Passiva non agnoscunt. *V. itidem sup. de his Temporibus.*

SECTIO IX.

DE CONIVGATIONIBVS QVADRILITERIS.

Cum Radix apud Arabes ordinariè constet tribus literis, hinc Quadrilitera Verba quæ occurrunt, referuntur ad Triliterorum

vel primam Conjugat. ut قمطر, *colligavit utrem*; vel ad quintam, ut تقمطر vel ad septimam, ut اقمنطر; *(nim.* ن *servili characteristicô non ad princip. sed in medium relatô.)* vel ad nonam, ut اقمطر: & penultima horum pro media radicali censetur. Alia autem quam in his quatuor Conj. triliteris non reperiuntur quadrilitera; & flectuntur per omnia sec. formam triliteram, ejusque omnes regularum classes: nisi quod (1.) in prima Conjug. activa in med. radicali Præteriti tantùm habeant Fatha; ac in med. radicali Futuri ibidem tantùm Cesra; *(cùm alias hæc in triliteris varient,)* & in ejusdem Futuri literis اتين Damma. Imperativo autem primæ Conjug. hìc non præfigitur ا unionis: ita & Infinitivus ejusdem Conj. hic specialis est. (2.) Participia & activa & passiva, æquè in prima Conj. ac in reliquis omnibus hìc formantur à Futuris suis aliorum participiorum more; hôc tantùm observatô, quod in Conjugationibus ad quintam & nonam triliterorum relatis Participia activa in media radicali Cesram sumant, cum tamen Futura eorum eam ibi non sumserint. *Conf. sup. Sect.* VI. *de Partic. annot.* 2. *Ad Imperativum ultimæ quadriliterorum Conj. confer Sectionem* II. §. 5. *superiùs p.* 15. Passivum quoque in nona Conj. (licet trilitera illud non agnoscant) quadrilitera tamen formant, & quidem à Præt. Activo, ut aliàs fit. Typus Conjugationum quadrilit. initialibus Paradigmatis vocibus hic est.

ACTIVUM.

Infin.	*Partic.*	*Imper.*	*Futur.*	*Prat.*	Coniugationis triliterorum
قمطارا	مقمطر	قمطر	يقمطر	قمطر	1mæ.
تقمطرا	متقمطر	تقمطر	يتقمطر	تقمطر	5tæ.
اقمنطارا	مقمنطر	اقمنطر	يقمنطر	اقمنطر	7mæ.
اقمطرارا	مقمطر	اقمطرر	يقمطر	اقمطر	9næ.

PAS-

PASSIVUM.

Partic.	*Futur.*	*Prat.*	Conjugat. trilit.
مُقَمْطَرٌ	يُقَمْطَرُ	قُمْطِرَ	1mæ.
مُتَقَمْطَرٌ	يُتَقَمْطَرُ	تُقُمْطِرَ	5tæ.
مُقْمَنْطَرٌ	يُقْمَنْطَرُ	أُقْمُنْطِرَ	7mæ.
مُقْمَطَرٌّ	يُقْمَطَرُّ	أُقْمُطِرَّ	9næ.

Hactenus de verbo ἀναλόγῳ Regulari seu Perfecto. Quantum ad Verbum Ἀνώμαλον Irregulare seu Imperfectum; illud IV nobis Regulas Speciales constituet, quibus, cum paucis Annotationibus, universam ejus anomaliam expeditam dabimus. Istæ autem, præmittendis prius VI Regulis Generalibus de Literarum اوي *natura & permutatione in genere, commodè subjungentur: tum & ipsæ hæ Regulæ Generales ita comparatæ sint, ut unâ operâ oppidò multas Verbi Imperfecti anomalias expediant; è quibus proinde semper repeti debet, quicquid anomaliarum de Verbis Imperfectis speciales Regulæ propterea non indicant, quia Generales id jam de quibusvis in genere monuêre.*

GRAMMATICÆ ARABICÆ

CAPUT TERTIUM.

DE LIT. اوي *NATURA ET PERMUTATIONE.*

REGULA GENERALIS I.

DE LIT. اوي.

Literæ اوي sæpè sibi invicèm vicariæ sunt solius Euphoniæ gratiâ: ut pro يَوْجَلُ interdum fit يَيْجَلُ & يَاجَلُ; sic تَأَلَّ &

دَأْيٌ & دَاوٌ , بَوْنٌ & بَيْنٌ , أَيِفَ & أَوِفَ , وَبَسَاءٌ & أَبْسَاءٌ , تَاوَنَ &

Nota in genere. 1. *Literæ duæ actu ipsô quiescentes nunquam concurrere possunt. Exc: quod post* و *servile in fine assumitur* ا *otiosum: ut* نَصَرُوا. *de quo inf. Reg. Gen.* ٧. *membr. ult.*

2. *In Regulis his tàm Generalibus quam Specialibus, semper præcedere vel sequi literam litera, aut vocalis vel gjezma literam censetur, cũ nim. immediatè præcedunt vel sequuntur, non intercedente Gjezmâ, aut literâ aliquâ quiescente, sive expressâ sive latitante in Tesdid ut quod geminas in unâ repræsentat. Ex. gr. In* عَدُوٌّ و *post damma non posset moveri per damma, nisi intercederet* و *latitans in Tesdid, quod geminas repræsentat, ut dictum. Quæ a. literæ quibus vocalibus homogeneæ vel heterogeneæ sint, sup. quoque jam indicatum p. 6. Quoties igitur se accommodare dicetur litera, intelliges eam vocali isti heterogeneam pro se substituere aliam homogeneam eidem vocali: Ex. gr. in* نُوِيٌ *pro* نَائِيٌ ا *se accommodare dicitur præcedenti vocali heterogeneæ, & sic consequenter; in quo casu literis* و & ي *semper* ء *superscribitur, quod indicio est, eas tunc esse vicarias* τῶ ا, *ut sup. ostend. p. 8.*

3. *Quæ de permutatione, quiete, aut abjectione literarum* و & ي *præcipiuntur, non intelligenda sunt simul de iisdem vicariis pro* ا; *v. gr. in* هَابِيٌ ي *vicarium est* τῶ ا; *hinc sustinet vocalem nunnatam, sub quâ aliàs abjiciendum esset sec. Reg. Gen.* ٧ ١. *m.* 2. *Ob eandem causam in* جَاوُوا و *prius manet, cum aliàs abjiciendum esset sec. Reg. Gen.* III. *m.* 1.

4. *Vbi in Regulis Gen. aut Spec. expressa non fit mentio Verbi ejusve Temporum, aut speciatim quid de Nomine non monetur, scies Regulam ubique tàm in Nominibus quàm Verbis dominari.*

5. *Ad Regulam hanc General. primam referenda sunt, quæcunque sequentibus Regulis Generalibus & Specialibus non respondent: nisi aut planè singularia sint, aut, quod rarius fit, formam suam imperfectam deserant, formationem perfectam subeundo; quod penes solum usum est.*

Quæ diverso charactere Latino passim inseruntur, nôris istic non constituere Regulas, sed hæsitanti solùm indicium facere.

RE-

REGULA GENER. II. *De LIT.* اوي.

Literæ ا و ي vocalibus destitutæ

1. post vocales heterogeneas se accommodant, iisque fiunt homogeneæ; ut بِئْر pro بِأْر, نُوي pro نَوي, بِئْس pro بِأْس, ايثِر pro اأثِر, نُؤْيَة, نُؤْبَة pro نُؤْلَة, مُوقِن pro مُيْقِن, رِضُوت pro رِضْبَت, نُوبَة pro نُوْبَة, قُوبِن pro قَوبِن. Exc. (α.) Interdum licet rariùs euphoniæ causa, non se vocalibus, sed vocales sibi accommodant: ut بِيْض pro بُيْض, *plurale fractum à sing.* أَبْيَض *albus*: sic dicitur يِيْجَل (quod euphon. caussâ est pro يَوْجَل) & يِيْجَل. (β.) Post Fatham و & ي vocalib. destitutæ semper manent, & diphthongescūt adscriptâ Gjezmâ; ut يَوْجَه, قَوْلًا (*sicut* نَصْرًا), أَوْسًا, يَوْم, نَوْر, رَمَوْا, أَيْن, بَيْن, حَيْث, أَوْيِر, سَيْرًا, أَتَيْت, رَأَيْت, غَزَوْت. Nisi scil. specialior Regula interveniat; (*ut: si secunda Radic.* و *vel* ي *Fatha suum rejecerint ad præced. literam sec. Reg. Spec.* 11. *eidem se accommodant, secundùm eandem; ceu pòst ostendetur: ut* يُخَاف. *Ita pro* شَوْيًا *dicitur* شَيًّا *sec. Reg. Gener.* 111. *membr.* 3. *licet aliàs forma illa obtineat: ut* أَوْيًا. *Conf. & m.* 2. *Reg. Gener.* 111. *v. &* vi. *Sic in Conj. octavâ ante* ت *servile interdum manentes præcedenti heterogeneæ vocali se accommodant; interdum cum* ت *coalescunt per Tesdid, V. sup. Cap.* 11. *Sect.* 11. *§.* 2, *fine. Atque ita semper si varient pro variatione formæ seu punctationis, non id hìc sed ad aliam specialiorem Reg. spectat: ut à Rad.* عود *fit nomen* أَوْد *formâ huic Regulæ respondente: at* عَادَ *fit pro* عَوَدَ *sec. Reg. Gen.* 111. *membr.* 2. *Sic* خَوِلَ *&* خَالَ, هُوِلَ *&* هَالَ.) *Sed hæc tantùm monemus hìc, Regulæ verò*

verò ipsa posteà docebunt. In verbis tamen cum sunt primæ radicales, post Fatha interdum liberè vel manent, vel accommodant se: ut يُوَسِّجُ & يَأْسَجُ & يُيَسِّجُ *Conf. Reg. Gen.* I.

2. post vocales homogeneas interdum excidunt, (licet multò frequentiùs maneant:) ut اللّٰهُ & الإِلٰهُ *Deus*, إِلّ & إِيلٌ *idem*, يَا رَبِّ *Domine mi* pro رَبِّي ; أُنْصُرُونِ *adjuvate me* pro أُنْصُرُونِي ; إِهْيِ pro أُهْيِبَا ; (*ubi med. radic.* ي *primum quiescit, sec. Reg. Spec.* II. *m.* 1, *deinde excidit juxta præsentem Reg.* & ا *ultimum se conformat: de quo in Reg. Gen.* IV.) sic مُشْبَّهْ pro مُشَبِّبَةْ, quod vicissim est pro مُشَبِّيَةْ ; مَرَّايْةْ pro مُرَائِيَةْ particip. fœm. *videns.* Elif verò sic excidens, sæpè præcedentis literæ Fatham aut perpendicularem efficit, aut pro ea imponit Meddam: ut pro هَاذَا *hic iste*, هٰذَا aut هَـٰذَا: sic أُولٰيِكَ & أُولَايِكَ , آبَ , أَأَبَ pro جُزْآنِ pro جُزْأَانِ *duæ partes. Conf. Reg. Gen.* IV. *m.* 2. & *Cap.* V. *de Pronom.* §. 1. *med.*

REGULA GENER. III. *De LIT.* و & ي.

1. و & ي vocali mobiles ante و & ي actu quiescentes excidunt; vocalis earum præcedente Fathâ perit, præcedente Damma vel Cesrâ, ipsorum locum occupat; ut pro رَمَيُوا , رَمَوْا ; pro غَزَوُوا , غَزَوْا ; pro أُغْزِوِي , أُغْزِي ; pro يَرْمِيُونَ , يَرْمُونَ. At ي dammatum ante و quiescens in Nominibus sæpissimè manet: ut هُبُوبٌ , قُبُولٌ , مُبُولٌ , نُبُوقٌ , سُبُوهٌ , هُبُولِي , &c.

2. و & ي post Fatham vocali mobiles ante literam vocali mobilem, in Verbis semper in ا quiescens mutantur: ut قَالَ pro

pro قَوَّلَ , أَمَّ pro أَيَمَّ: sic أَمَرَ , سَامَرَ , &c: nisi, quod planè rariss. est, cùm secunda Rad. و & ي hic perfectè formantur, omissâ, quæ ipsis debebatur, anomaliâ: ut عَوَّرَ & عَامَرَ , صَيَّدَ & صَادَ ; ita قَبَأَ , اِعْتَوَرَ , &c. Sic peculiare est tertiæ radicali و & ي, quod in Præteriti Dualis tertiâ fœmin. planè excidant: ut غَزَتَا pro غَزَوَتَا , رَمَتَا pro رَمَيَتَا : cùm nim. hujus regulæ sunt, aliàs non fit: ut سَرُوَتَا , رَضِيَتَا ; *non enim ibi sunt post Fatha.*

At cùm sunt Cesrâ mobiles, rariùs mutantur in ا quiescens, sæpissimè manent: ut خَافَ , خَابَ , هَابَ ; سَوِلَ , نَوِكَ , سَيِسَ , نَيِلَ . Singulare est لَيْسَ pro لَيِسَ *non fuit.*

In Nominibus talis formæ, modò manent immutatæ; ut سَوْسٌ , هَوْرٌ , عَوْجٌ , هَيْتٌ , (& ita ut plurimùm, cum Cesrâ mobiles sunt:) sic & in particulis, ut أَوْلَمْ , أَوْلَا : modò mutantur in ا quiescens; ut دَارٌ pro دَوَرٌ ; رَادٌ pro رَوَدٌ ; هَبَامٌ pro هَيَمٌ , خُبَاةٌ pro خَبَبَةٌ , هُجَاةٌ pro هُجَوَةٌ , وَصَاةٌ pro وَصَيَةٌ . Quædam liberè sec. hanc Reg. formantur, & sec. Regul. Gener. 11. m. 1. ut خَوَلٌ & خَالٌ & خَوْلٌ . Tertiæ verò sic Radicales in nomin. interdum abjectâ vocali quiescunt instar ا ; ut غَزْوَةٌ , مِائَةٌ , صَلَوةٌ , (pro quo tamen & غَزَاةٌ): sic & حَبْوَةٌ (*Infinit. Conj. primæ, formæ decimâtertiæ,*) pro حَبَوَةٌ . *At* رَمْيَةٌ *& alia ejusdem formæ, quæ alii his accensent, hùc non spectant; cum ante Affixa* و *&* ي *censeantur non in medio sed fine esse, adeòq; ultrò quiescant. Conf. Reg. Gen.* V. *&* VI.

3. و & ي ita concurrentibus, ut prior vocalem non habeat, mutatur و in ي, duoque ي per Tesdid coalescunt: ut pro أَيَّامٌ, أَيْوَامٌ; pro شَيًّا, شَوْيًا; pro أَيًّا, أَوْيًا. Sæpè verò & aliàs و & ي concurrentes coalescunt per Tesdid, sive prior vocalem habeat, sive utraque vocalem: ut لِيٌّ & لُيٌّ pro لَوِيٌ, طَيٌّ pro طَوِيٌ, pro quo etiam aliàs sec. Reg. Gen. VI. m. 2. طَوٍ; رَيٌّ pro رَاوِيٌ, مَرْمِيٌّ pro مَرْمُويٌ, يَدِيٌّ pro يَدُوِيٌ, سَيِّدٌ pro سَيْوِدٌ, مَرْضِيٌّ pro مَرْضُويٌ. Talis contractio etiam licet rariùs contingit in و, cum duo و taliter concurrunt: ut مَغْزُوٌّ pro مَغْزُووٌ, قُوَّةٌ pro قُوْوَةٌ Infinitivus Conjug. primæ, formæ undecimæ, à Rad. قوو.

4. و & ي finales post ا servile in ء mutantur: ut pro سَمَاءٌ, سَمَاوٌ; pro رِدَاءٌ, رِدَايٌ.

REGULA GENER. IV. De ا.

1. ا vocali affectum

in medio accommodat se vocali suæ heterogeneæ; ut pro سُئِلَ, سَأَلَ; pro أُوبٌ, أَأْبٌ: cum verò Fatham habet, præcedenti heterogeneæ; ut pro سِيَةٌ, سِأَةٌ; pro دُوبٌ, دَأْبٌ. At sequente ي, sæpè ا manet: ut مَرْئِيٌّ, مِائَةٌ, مَرَايَانِ, مَرَائِيَةٌ.

in fine accommodat se vocali præcedenti heterogeneæ; ut pro نَسِيٌ, نَسِأٌ; pro هَتُوٌ, هَتُأٌ: cùm verò præcedit Fatha, suæ heterogeneæ: ut pro سَنَا, سَنَأٌ; pro تَغَتُّوٌ, تَغَتُّأٌ. Exc. si post Fatham heterogeneum habeat Damma; tunc enim rariùs se conformat ا, imprimis ء

 in

A

in fine factum: ut نَوْءٌ, بِرَأ, قَرَأ, يَطَأ, اِمْرَأ, نَشَأ, أَهْنَأ, نِيءٌ, نَيْءٌ, سُوءٌ, أَسْوَءُ, & sic plurima.

Sed & aliàs ob vicarias frequenter sibi invicem او ي (*Sec. Regul. Gener.* I.) multa liberè, vel regulariter vel secundùm hanc Reg. de ا formantur; imprimis in nominibus: ut ظَاأَرٌ & طُؤْلُرٌ, نُغَأ & نَتْوٌ, هُنَيٌّ & هُنَيْءٌ.

Intervenientes alioquin او ي quiescentes non impediunt conformationem تَ ا; ut نَبِيَّةٌ, هِبِيٌّ, نَدِيٌّ, قَائِلٌ: sicut interdum nec aliæ literæ gjezmatæ; ut مِمْبِسٌ, فُقُوٌّ.

2. ا vocali destitutum

ا post ا fathatum excidit, Fatha illô perpendiculari scriptô, aut pro eo veniente Medda, (*sec. Reg. Gen.* II. *fine*;) ut pro أَأْمَنَ, أَمَنَ vel آمَنَ; pro أَأَبَ (*ab* أَوَبَ *sec. Reg. Gen.* III. *m.* 2.) آبَ; pro أَأْثَرَ *è Conj. tert.* آثَرَ; & pro أَأْثَرَ *è Conjug. quart.* آثَرَ. Sæpissimè tamen tàm servile quam radicale manet post ا fathatum: ut مِنْأَامٌ, وَأَلِمٌ, أَأَيٌّ, أَأْتَنَ, أَأْجَلُ, أَأْثَرُ, أَأْنِي, أَأْتَلُ, مُأَاوِدٌ, &c. Quædam utroque modo habent: ut آلُ & أَلٌ & أَأَلُ, قَأَابٌ & قَابٌ, مِرْآةٌ & مَرْأَاةٌ: atque sic alia.

ا sequente ا quiescente, cum movendum est per Fatha (*antea nim. actu quiescens*,) mutatur in و: ut pro طَأَابِقٌ

B

 (*plural.*

B (*plural. à singulari* طَابَقٌ) fit طَوَابِقُ; *nim.* ا *anteà quiescens in singulari, jam movendum per Fatha (posito post ipsum alio* ا *vi formæ plur. fracti quadrilit. quam V. inf. Cap.* IV. *Sect.* V. §. 6.) *mutatur in* و : sic pro نَاأَصِرُ , نَوَاصِرُ ; *à sing.* نَاصِرٌ : pro غَزَاأَاتٌ , غَزَوَاتٌ ; *plur. perfect. fœmin. à sing.* غَزَاةٌ ; (*nim. abjecto* ةٌ *& adjecto* اتٌ .) *Conf. formam plur. inf. Cap.* IV. *Sect.* V. §. 3. *&* §. 2. *de Dual. Num.*

Nota: 1. Affixa censentur τὸ ا in medium collocare: ut مَآوِهُ pro مَآءُهُ : *ubi* ا *ante affixum se accommodat sua heterog. ut aliàs solet in medio.* At reliquas duas Quiescentes و & ي Affixa non censentur in medium collocare, sed ipsarum ratio ante affixa eadem est, quæ in fine aliàs: ut رَمْيَهُ, غَزَاهُ. *Conf. Reg. G.* V. *&* VI.

2. Voculæ inseparabiles ب ف ك ل و ا non censentur τὸ ا in medium collocare; ut بِاوِتِّجِه *in respectu: ubi* ا *quasi in princip. stat, adeòque se non accommodat sua heterog.* Exc. in Particulis quibusdam: ut لِئَلَّا , أَئِنَّ.

REGULA GENER. V. *De* و.

1. و in medio: fathatum post Cesra interdum in ي mutatur: ut ثِيَابٌ pro ثِوَابٌ. Tertiæ radicali و id perpetuum est: ut رَضِيتُ pro رَضِوْتُ , رَضِيتَا pro رَضِوْتَا.
habens post se aliud و quiescens, id sæpiss. expellit: ut رُؤُسٌ pro رُؤُوسٌ.

2. و in

Fatha, si tertia vocis litera est, mutatur in ا quiescens, vocali suâ abjectâ; nunnatione verò (si habet,) ad præcedentem vocalem rejectâ: ut غَزَا pro غَزَوَ, عَصًا pro عَصَوٌ: si quarta vel ulterior vocis litera est, in ي quiescens, eâdem ratione: ut أَغْزَي pro أَغْزَوَ, مُعْطًي pro مُعْطَوٌ: sic pro يُحْبَوُ, يُحْبَي; *quod ipsum* ي *rursus in* ا *mutatur sec. Reg.* VI. *m.* 2: *ubi Vid.* (sic cùm Tesdid literas geminas in una repræsentet, غَزَّي pro غَزَّوَ.) Hoc autem ي pro و, in omnium Præterit. Activorum personis secundis & primis manet, (*quamvis tunc non in fine sed medio positum*:) ut أَغْزَيْتَ, أَغْزَيْتِ, أَغْزَيْتُ, &c. (ي *ubique pro* و *existente.*)

2. و in fine post

EXC. in primâ Conjug. و redit in iisdem personis.

Damma, si habet Damma aut Cesra, iis abjectis quiescit: ut يَدْعُو pro يَدْعُوُ & pro يَدْعُوِ: si post easdem alterutrius nunnationem habet, eam rejicit ad præcedentem vocalem, & و ipsum excidit: ut أَدْلٍ pro أَدْلُوٌ & pro أَدْلُوٍ; غَازٍ pro غَازِوٌ & غَازِوٍ. Cum autem nunnatio perit, (*de quo V. Cap.* IV. *Sect.* V. §. 10.) و illud redit: ut pro اَلْغَازِ, (*nunnatione scil. abjectâ,*) اَلْغَازِي; (*denuò* و *in* ي *mutatô ob præcedens Cesra, ut mox dicetur.*) *Regulâ sic informatâ, Accusat. regularis manet*: ut غَازِيًا, ي *pro* و *existente ob Cesra.*

Cesra, mutatur in ي: ut رَضِيَ pro رَضِوَ.

3. و servile in fine dictionis, ne eam terminet, adsciscit ا otiosum: ut رَمَوْا pro رَمَوْ, sic بَنُوا اللّٰهِ *filii Dei.* At أَبٌ pro أَبُوٌ *pater*, in constructione assumens وُ, (*Conf. inf. Cap.* IV. *Sect.* V. §. 10.) non apponit ei ا servile: ut أَبُو دَاوُدَ, *Pater Davidis.*

و *ante affixa in fine censeri, V. præced. Reg.* IV. *fine.*

REGULA GENER. VI. *De* ي.

1. ي in medio

fathatum post Damma interdum in و mutatur: ut pro رُمِيَانٌ , رُمْوَانٌ.

habens post se aliud ي quiescens, sæpè id expellit: ut pro رَيِّيس , رَيِّس.

2. ي in fine post

Fatha, quiescit instar ا, vocali suâ abjectâ; nunnatione verò (si habet) ad præcedentem vocalem rejectâ: ut أُولَى pro أُولَيَ , أُولَيٌ , أُولِي ; فَتًى pro فَتَيًا , فَتَيٌ , فَتَيِ . Interdum etiam in ا quiescens mutatur: ut يُحْبَا pro يُحْبَي, *Futur. à Rad.* حبو. *V. Reg. præced.* v. m. 2. sic وَفَى & وَفَا: idque semper cum præcedit ي fathatum: ut هَدَايَا pro هَدَايَيُ: (exc. hæc duo يُحْبَي *nomen barbarum*, & رَيِّي vel رَيَّا, *potu expleta.*) Ante affixa, (*ubi in fine* ي *censeri diximus Reg. Gen.* IV. *fine*,) liberè vel in ا quiescens mutatur, vel quiescit instar ا: ut رَمَيَهُ & رَمَاهُ *jecit eum.* فَتَيَهُ & فَتَاهُ *puer ejus.* In particulis autem ante affixa diphthongescit regulariter post Fatha: ut إِلَيْهِ *ad eum,* إِلَيْكَ *ad te:* sic & aliàs in quibusdā particulis: ut كَيْ *ut,* وَيْ *heu, va,* &c.

Cesra, si habet Cesrā vel Damma, iis abjectis quiescit: ut حَافِي pro حَافِيُ & pro حَافِيِ: si post easdem alterutrius nunnationem habet, eam rejicit ad præcedentem vocalem, & ي ipsum excidit: ut رَامٍ pro رَامِيٌ & رَامِيٍ; أَيْدٍ pro أَيْدِيٌ & أَيْدِيٍ *nim. præcedente Dammâ priùs in Cesra mutatô; ut mox dicetur:* sic آوٍ pro آوِيٌ *Part. Act. à Rad.* اوي:

(*nim.*

(*nim.* ا *posteriori simul excidente, sec. Reg. Gen.* IV. *m.* 2.) وَآءٍ pro وَاايٌ *Partic. Act. à Rad.* واي; (*nim. literâ* ي *post rejectam nunnationem pereunte,* ا *post quiescent. in fine mutatur in* ء, *ob quod præcedenti* ا *imponitur Medda, sec. Reg. suas.*) *Interdum & Regula Gen.* III. *m.* 3. *locum hic habet, V. Ib.* Cum autem nunnatio perit, ي itidem redit: ut pro اَلرَّامِ, اَلرَّامِي; (ي *Damma suo carente sec. Reg.*) sic رَامِي اَلْمَلِكِ *sagittarius Regis*; *ubi nunnatione per seq. artic. sublatâ,* (*Conf. inf. Cap.* IV. *Sect.* V. §. 10. *n.* 3.) ي *manet. Accusativus adeò & hic regularis manet*: ut رَامِيًا.

Damma, id in Cesra mutat: ut تَمَنِّي pro تَمَنُّي; etiam si intercedat و, cum quo tunc ي coalescit per Tesdid, *sec. Regul. Gener.* III. *m.* 3. ut pro يُدُوِيٌ, يُدِيٌّ.

REGULÆ SPECIALES.

Speciales Regulæ præcipuè concernunt Verba Imperfecta; quorum Anomalias derivata ab ipsis Nomina quandoque imitantur, quandoq; minùs, quod solius usus est. Præter speciales autem has Anomalias insuper Regulis suis Generalibus semper subjiciuntur, quotiescunque extra illas locum in iis habent. In reliquis ubique Perfecta sunt.

REGULA SPECIALIS I.

DE PRIMA RADIC. و.

Prima Rad. و abjicitur

1. in Futuro & Imperativo primæ Conjug. cum penultima ibi habet Cesram: (*Conf. Fut. form. sup. p.* 19.) ut يَجِي pro يَوْجِيُ, يَمِقُ pro يَوْمِقُ, يَاي pro يَوْايُ: sic etiam quæ Fatham Præ-

teriti

teriti hic retinent propter ultimam gutturalem: ut يَنَعُ pro يَوْنَعُ; sic يَزَعُ, يَجَأُ, يَتَأُ, يَرَأُ: ita يَطَأُ pro يَوْطَأُ, *(licet Fatha ibi sit pro Cesra Præteriti:)* sic & يَذَرُ & يَدَعُ. Pariter in horum Imperativis; ut مِقْ pro اوْمِقْ (*Elif unionis simul excidente sec. Reg. de Imp. sup. p. 22.*) sic زَعْ, قَعْ, سَعْ, طَأْ, هَبْ *da*, pro اوْهَبْ (*in quo Fatha pro Cesra stat per sing. anomal.*) Sic in nominibus sæpè perit ob sequens Cesra: ut سِمَةٌ pro وِسْمَةٌ, ita قِرَةٌ, ابَةٌ, صِفَةٌ, سِنَةٌ, طِبَةٌ, سِبَةٌ, لِدَاتٌ, compensante primam radicalem و in fine ةٌ; interdum & non compensante; ut عِدٌ pro وِعْدٌ, quod tamen rariùs fit.

2. In Infinitivo Conjug. primæ Act. formæ نَصْرَةٌ; ubi eadem vocalē suā sequenti gjezmatæ indit: ut عِدَةٌ pro وِعْدَةٌ, مِقَةٌ pro وِمْقَةٌ.

Hujus Anomaliæ Verba *Similia* Arabibus dicuntur.

REGULA SPECIALIS II.

DE SECUNDA RADIC. و & ي.

Secunda Radic. و & ي in Conjug. 1. 4. 7. 8. 10.

1. quiescunt, impositâ præcedenti literæ (sive vocali sive gjezmâ affectæ) suâ vocali: ut pro سَيِرَ, سِيرَ; pro أَقْوَلَ, أَقُولَ; pro أَسْيَرَ, أَسِيرَ; eidem tunc, si heterogenea sit, sese conformantes; ut pro قَوُلَ, قُولَ; pro يَخْوَفُ, يَخَافُ; pro يَشْيَءُ, يَشَاءُ. Rariùs nudè quiescunt sese accommodantes, non rejectâ ad præced. lit. suâ vocali: ut pro هَوِبَ, هَوْبَ.

Exc. cum subsequens litera quoque est una ex و ي ا actu qui-

quiescentibus; tunc enim non quiescunt, ne duæ actu quiescentes concurrant: ut يَهْوَيُ (*Fut. à Rad.* هَوَيَ, *Conf. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) sic يَشْوِي; *Conf. ibid. med.* Eâdem de causâ nec in Infinitivis iis quiescunt, quæ ا servile ante ultimam radicalem assumunt: ut in Conj. septima اِنْقِبَالاً, (*à Rad.* قول, و *insuper in* ي *mutatô, sec. Reg. Gener.* V. *m.* 1.) ut & Conj. octavâ, اِقْتِبَالاً: In quarta & decima autem Conjug. cùm و & ي sec. Regulam suam ibi quiescant, ا illud servile ante ultimam radicalem abjicitur compensatum in fine per ة; ut اِقَالَةً pro اِقْوَالاً, اِسَارَةً pro اِسْتِسْبَارًا, اِسْتِغَالَةً pro اِسْتِقْوَالاً, اِسْتِسَارَةً pro اِسْتِسْبَارًا.

2. ante Gjezma excidunt, impositâ itidem præcedenti literæ (sive vocali sive gjezmâ affectæ) suâ vocali, si quam habent: ut pro خَوِفْتُ, خِفْتُ; pro طَوُلْتُ, طُلْتُ; pro شَيِبْتُ, شِبْتُ, (*à Rad.* شيب) pro يَسِيرْ, يَسِرْ; pro يَقُومْ, يَقُمْ; (*Fut. nim. gjezmat.*) pro أُقْوُلْ, (*Imperat. prim. Conj.*) قُلْ; (*sec. Reg. de Imperat. pereunte* ا *unionis:*) sic pro اِسْيِرْ, سِرْ; pro أُسْوُ, سُو; (*nim. mediâ rad.* و *ob sequens Gjezma excidente*, ا *accedit ad* س *& conformat se vocali heterog. &* ا *Imperat. perit ob seq. vocal.*) sic pro اِجْيَأْ, جِئْ; (ا *itidem se conformante, à Rad.* جيأ:) pro اِهْيَبْ, هَبْ time, (*Fathâ ἀνωμάλως pro Cesra existente.*)

Exc: (1.) Ante Gjezma non excidunt, sed manent, cum tertiæ quoque radicales و vel ي in Fut. & Imperativo Gjezmâ afficiendæ excidunt sec. Reg. suam Spec. III, quam Vide inf. ut لَمْ يَشْوِ, (pro لَمْ يَشْوِيْ;) sic in Imperat. اِشْوِ (pro اِشْوِيْ;) اِقْوَ (pro اِقْوَيْ;)

اقْوِي ;) اِحْيِّ (pro اِحْيِيّ .) (2.) Fatham, excidentes ante Gjezma, non imponunt præcedenti literæ, sed ejus loco homogeneam sibi vocalem: ut pro قُوْلْتَ, قُلْتَ; pro سِيْرْتَ, سِرْتَ; pro هِبْتَ, هَبَأْتَ. Præter لَيْسَ pro لَيِسَ *non fuit*, quod Fatham habet: ut لَسْتَ *non fuisti*, لَسْتُمْ *non fuistis*.

Sub aliis conditionibus Regulis Generalibus subjacent, quotiescunque forma ipsarum sub eas cadit: (ut; *cum post fatham sunt vocali mobiles ante literam vocali mobilem, subjiciuntur Reg. Gen.* III. *m.* 2. *Cum vocali destitutæ sunt post heterog. quietis vocalem, Reg. Gen.* II. *m.* I. (*ut quoque jam ostensum:*) *sicut eædem post homog. quietis vocalem, eidem Reg. m.* 2. *Ita pro contingente formâ, Reg. Gen.* V. VI. *Aut si nullis harum, Reg. Gen.* I, *aut planè perfecta sunt.*) *Atque hæc tantùm monemus hic, Regulæ verò ipsæ ea jam satis docuêre.*

Verba hujus Anomaliæ Arabibus dicuntur *Concava.*

Nota. (1.) Regula hæc de و & ي quod ante Gjezma excidant, hìc inter Speciales collocanda est, non Generalibus annumeranda. In solis enim و & ي secundis Radical. inque his solis Conjug. memoratis locum habet: ita ا tantùm vicarium existens pro secunda Rad. و vel ي, (dum post heterogeneam vocalem se conformant,) regulæ huic se subjicit, excidendo ante Gjezma; ut يَخَفْ pro يَخَافْ; aliàs non: nisi per specialiss. anomaliam in certis Verbis imitetur formam Concavorum, ut mox dicetur. Hinc super vacua est (Regulâ rectè informatâ) exceptio τῶ ا unionis, quod ob sequens Gjezma non excidat.

(2.) In Participio Activo primæ Conj. ne ob insertionem ا quiescentis post primam Radicalem (*ut* نَاصِرٌ) duæ actu quiescentes concurrant, secunda Rad. و & ي mutantur in ا, (*cùm hæc vocalem sustinere possit, ut quam Reg. Concavorum non tangit:*) ut pro قَاوِلٌ, قَائِلٌ; (*Elif insuper se accommodante sec. Reg. suam:*) sic pro سَايِرٌ,

سَايِرٌ ,سَايِرٌ. At in Participio Passivo (مَنْصُورٌ) non assumunt و illud servile, sed quiescunt in homogenea sibi vocali: ut مَقُولٌ pro مَقْوُولٌ, مَسِيرٌ pro مَسْيُورٌ, مَجِيءٌ pro مَجْيُوءٌ. Rariùs tamen regulariter formata reperiuntur, imprimis apud Poetas. ut مَخْيُوطٌ, مَكْيُولٌ.

(3.) Quoties secunda Rad. و & ي in Conjug. illis memoratis moventur, aut ante Gjezma manent; scies, illas specialissimè ἀναλόγως perfectorum Verborum more conjugari, non sec. debitam ipsis anomaliam: ut أَصْيَدَ, اعْوِرَ &c. Sic quædam in prima Conj. imperfecta, in quartâ modò perfecta sunt, modò imperfecta. Imprimis in 10 Conjug. Concava و sæpissimè perfectè flectuntur: ut اسْتَجَابَ & اسْتَجْوَبَ.

(4.) Nomina ex ordine hoc Concavorũ, sæpè eorundem Regulæ se conformant: ut pro مَشِيبَةٌ ,مَشْيَبَةٌ; pro quo & مَشْبَةٌ *sec. Reg. Gen.* 11. *m.* 2. sæpè etiam secùs; ut أَلْوَقُ, &c. quod non nisi ex usu petendum. Sic eadem vocali destituta post homogeneam quietis vocalem interdum Gjezmam accipiunt, sæpiùs sine Gjezma quiescunt: ut نُورٌ ,هُوِيٌ ,سِيءٌ ,هُيِّءٌ ,هُوُولٌ, (*à Rad.* هول) تُورٌ ,بِيتٌ ,خَبِرٌ, &c.

(5.) Ad hanc Concavorum formam quoq; inflectuntur interdum quædam verba habentia mediam Radic. ا vel ء: ut بَاءَ pro بَأَءَ , بَانَ pro بَأَنَ , قَابَ pro قَأَبَ ,يَسَالُ pro يَسْأَلُ; sic pro اسْأَلْ , سَلْ; *(pereunte* ا *tam radicali ob seq. Gjezma, quam præform. Imperat. ob seq vocalem. V. sup. p. 23.)*

(6.) Atq; huc referendum quoq; est Verbum رَاي *vidit*, cui hoc

 pecu-

peculiare est, ut mediam radicalem frequentissimè abjiciat, vocali ejus ad præcedentem lit. rejectâ, quoties nim. prima radicalis accipit Gjezma: ut يَرِيَ pro يَرْأَيُ *Futur.* & sic porrò; imprimis in tota quarta Conjugatione. Imperativus habet رِ *(nim. insuper abjectô ا unionis ob seq. vocal. & excidente tertiâ Rad.* ي *sec. Reg. Spec.* III.) Reperitur tamen & regulariter formatus, ut اِرْأَيْ & اِرْءَا. Sic in quarta Conjug. Imperat. fit أَرِ pro أَرْإِيْ. Præteritum in eadem quarta, habet أَرَيَ vel أَرَا. Infinitivus in eadem اِرَآءً vel اِرْأَءَةً vel اِرَاْيَةً. Particip. Act. مُرٍ pro مُرْإِيٌّ *(sec. hanc, & Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) Particip. Pass. مُرْءِيٌّ. In aliis Temporibus modò irregularis formatio occurrit, modò regularis, etiam cum ر accipit Gjezma.

(7.) Formam hanc Verbi رَأَيَ, liberè aut imitatur Verbum حَيِيَ (pro حَيَوَ *sec. Reg. Gen.* V.) *vixit* in decima Conjug.; aut regulare manet, ob ult. quoq; quiescentem: ut Præteritum اِسْتَحْيَا *(ult. rad.* ي *in* ا *mutatâ, sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) & اِسْتَحْيَ; *(ubi ult. rad.* ي *redit, quia non amplius præcedit* ي *fathatum, quod jam sec. formam Verbi* رَأَيَ *abjectum est, rejectâ ad præced. gjezmatam vocali; quæ forma in sequent. ubique simul attendenda est.)* Futurum يَسْتَحْيِي & يَسْتَحِي; *(ubi ult. rad.* ي *quiescit abjectô Damma, sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) Imperativus اِسْتَحْيِ *(ubi ult. radic.* ي *Gjezmâ afficienda excidit sec. Regul. Spec.* III.) & اِسْتَحِ; *(ubi utrumque* ي *abest, sec. hanc, & Reg. Spec.* III.) Participium مُسْتَحْيٍ

(ubi.

(ubi ult. rad. excidit nunnatione rejectâ ad prac.) & مُسْتَحٍ. Infinitivus اِسْتِحْيَاءٌ *(ubi ult. rad.* ي *ob insertum* ا *servile Infinitivi in* ء *mutatur, sec. Reg. Gen.* III. *m.*4.) & اِسْتِحَاءٌ. Interdum hoc Verbum etiam cum Surdis *(seu med. rad. tertiæ similem habentibus, de quibus Reg. Spec.* IV.) contrahitur; ut Præt. حَيَّ vel أُحِيَّ, Fut. يُحَيُّ &c.

Censentur autem & omnia alia Verba formæ رَأَيَ *(nim. mediâ* ا *& ult.* ي,) liberè in Conj. quartâ formationem illius verbi subire, aut regulariter formari posse: ut أَنْأَيَ & أَنَيَ, يُنَايِ & يُنِي, مُنَا & مُنٍ; *ubi ult. rad.* ي *excidit, sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.

REGULA SPECIALIS III.

DE TERTIA RADIC. و & ي.

1. Tertia Rad. و & ي in tertiâ Fœm. Præteriti, præcedente Fathâ, excidunt: ut رَأَتْ pro رَأَيَتْ, غَزَتْ pro غَزَوَتْ, رَمَتْ pro رَمَيَتْ.

2. Quoties in Fut. & Imperat. tertia Rad. و & ي Gjezmâ afficiendæ sunt, semper excidunt: ut لَمْ يَرْضَ pro لَمْ يَرْضَيْ; لَمْ يَغْزُ pro لَمْ يَغْزُوْ; *(V. de Apocope Fut. sup. p.* 20.) اِرْمِ pro اِرْمِيْ; أُغْزُ pro أُغْزُوْ; اِرْضَ pro اِرْضَيْ: sic اِيْجَ pro اِوْجَيْ, *(و insuper se accommodante: sec. Reg. Gen.* II.) اِيوِ pro اِأْوِيْ, *(* ا *se accommodante.)* quod si manentes reperiantur hæ tertiæ radicales, sphalma est. In Imperativo autem tertia Rad. ي tunc sæpissimè pro se substituit ه: ut دِهْ pro اِوْدِيْ; *(nim. sec. hanc Reg. & Specialem* I, *nec non Reg. de* ا *unionis Imp. sup. p.* 23.) sic قِهْ vel قِ, pro اِوْقِيْ

 à Rad.

à Rad. وَقِيَ *cavit, protexit*; اِهْ vel اِ pro اِوْاِيّ à Rad. وَأَيَ *promisit*; رَهْ vel رَ pro اِرْاِيْ; (*Conf. Reg. Spec.* 11. *Annot.* 6. *de Verbo* رَأَيَ *vidit,*) رَهْ pro اِوْرِيْ; (*Fathâ ἀνωμάλως pro Cesra existente.*) Singulare est تِهْ pro اِيْتِ (quod & ipsum tamen dicitur,) *Imperat. à Rad.* أَتَيَ *venit.* Verba hujus Anomaliæ Arabibus *Defectiva* appellantur.

REGULA SPECIALIS IV.

DE SECUNDA RADICALI TERTIÆ SIMILI.

Secunda Radicalis tertiæ similis, in Conjugationibus non dagessatis per Tesdid in media radicali, & formatis inde Nominibus, contrahitur cum tertia Radic. per Tesdid: ut مَدَّ pro مَدَدَ: vocalis ejusdem vel rejicitur ad præcedentem literam, si illa Gjezmam habeat; vel planè abjicitur, si præcedens vocalem possideat: ut أَمُدُّ pro أَمْدُدُ, أَحَبَّ pro أَحْبَبَ, مَدٌّ pro مَدْدٌ.

Exc. (1.) Secunda hæc Rad. non contrahitur, sed manet, cum tertia radicalis accipit Gjezmā: ut مَدَدْتُ, لَمْ يَمْدُدْ, اُفْرِرْ, أُمْدُدْ. Hinc in Fut. gjezmato & Imperat. tertia Radic. ad obtinendam contractionem illam, sæpè pro Gjezma sumit Fatham vel Cesram; vel Damma interdum, cum penult. habet Damma: ut لَمْ يَمُدَّ & لَمْ يَمُدِّ pro لَمْ يَمْدُدْ; مُدَّ vel مُدِّ pro أُمْدُدْ; (*Excidente* ا *unionis obseq. voc.*) (2.) Imperativus totus omissâ contractione ordinariè regularis manet; ut Singul. أُمْدُدْ أُمْدُدِي, Dual. أُمْدُدَا, Plural. أُمْدُدُوا أُمْدُدْنَ. Interdum tamen patitur contractionem superiori modô, exceptâ plurali Fœmin. quæ nunquam contrahitur: ut Sing. مُدَّ مُدِّي, Dual. مُدَّا, Plur. مُدُّوا: (*pereunte ubiq.* ا *cha-*

I *characterist. Imperat. sec. Reg. de Imper.*) (3.) Participium Passivum ob insertum و regulare est: ut مَمْدُودٌ. Talia Verba Arabibus dicuntur *Surda*.

Atque hæc universa ratio est Anomaliarum in Verbis Imperfectis; de quibus singulis nova Paradigmata adornare supervacuum duximus, cùm ipsorum formatio semper tantùm regulariter secundùm نَصَرَ *prius instituti possit, ubi tùm Regulæ vel Generales vel Speciales statim de Anomalia ipsorum monebunt; quarum si nulla locum habet, manent perfecta. Vtraque igitur & Paradigma* نَصَرَ, *& Regulæ hæ exactè memoriæ includantur necesse est.* Quod si autem Verba aliqua non tantùm unam, sed & alteram aut omnes tres Radic. habeant Quiescentes, ut أَوَى *Recepit*, وَأَى *promisit*; sequuntur per omnia Anomaliam in unaquaq; Radicali speciatim modò expositam: & dicuntur talia dupliciter aut tripliciter imperfecta Verba Arabibus *Involuta.*

GRAMMATICÆ ARABICÆ

CAPUT QUARTUM. *DE NOMINE.*

Nominis consideranda sunt, 1. Qualitas, 2. Species, 3. Forma, 4. Genus, Motio & Comparatio. 5. Declinatio, Numerus & Casus.

SECTIO I. *DE QUALITATE NOMINIS.*

Ratione Qualitatis Nomen est vel Absolutum, vel Restrictum: Restricta sunt omnia Nomina Propria: Absoluta autem omnia Appellativa; nisi ea restringat vel Status Regiminis, aut Affixionis; (*de quò inf. in Syntax.*) vel Articulus أَلْ, ὁ, ἡ, τὸ: (*de quo plura V. sup. Cap.* 1. *Sect.* III. §. 2. *&* 4. *& inf. Sect.* V. *huj. Cap.* §. 10. *n.* 3.), qui proinde Restrictis jam ante sive Regimine, sive affi-

affixione, nunquam apponitur; sed semper Absolutis; ut اَلْمَدِينَةُ ἡ πόλις; Nominibus igitur Propriis præmissus essentialis est non accessorius; ut اَلْقَاسِمُ. Particularum quoque constructionem quomodo quandoque ingrediatur. *V. inf. Synt. Partic.* §. 2. *fine*.

SECTIO II.

DE SPECIE NOMINVM.

Species Nominum est duplex; Primitiva & Derivativa: & Derivativa quidem sunt vel Nominalia vel Verbalia.

§. 1. VERBALIA Derivativa sunt quæ derivantur à Verbo; ut ferè Adjectiva, nec non Participia & Infinitivi, nominascentia & hinc casibus variabilia; ut & Substantiva significantia locum vel tempus, vel instrumentum actionis.

Participia igitur Activa nominascentia notant ipsum actorem: ut نَاصِرٌ *Adjutor*, مَالِكٌ *Dominator, Rex*. Frequentiss. autem tunc est forma نَصَّارٌ.

Locus & Tempus Actionis unâ voce exprimuntur: ut مَكْتَبٌ *locus & tempus scriptionis*: & formantur talia nomina in prima trilit. quidem Conjug. à Fut. Act. م pro اتين posito, & si penultima vocalis Damma est, eâ in Fatham conversâ: ut مَدْخَلٌ *locus & tempus introitus*; à Fut. يَدْخُلُ: pro quo Fatha interdum & Cesra sumitur; ut مَسْجَدٌ & مَسْجِدٌ *locus adorationis*: quod perpetuo fit, cum prima radic. est و: ut مَوْضِعٌ *locus & tempus positionis*. Fatha autem perpetuum est, cum ultima est و vel ي: ut مَرْمًى (*quod est pro* مَرْمَيٌ *sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) *locus & tempus projectionis*. Interdum & ة in fine assumitur ad locorum nomina: ut مَقْبَرَةٌ *locus sepelitionis, cæmeterium*; & tunc penult. radicalis sæpiss. habet Damma: ut مَقْبُرَةٌ *idem*. In verbis autem quadrilit. & Conjugationibus

nibus derivatis formantur loci & temporis nomina à Futuro Paſſ. poſitô م pro اتبن, adeò ut planè conveniant cum Participio Paſſivo: ut مُحْزَن *locus & tempus contriſtationis.*

Inſtrumenti nomen itidem formatur præpoſito م cum Ceſra, fitque formæ مِفْعَال vel مِفْعَلَة: ut مِفْتَاح *quo quid aperitur, clavis, à* فَتَحَ *aperuit.* Interdum م & media radic. habent Damma: ut مُنْخُل *cribrum*, à نَخَلَ *cribravit.*

Infinitivi nominaſcentes actionem ipſam ſignificant: ut ضَرْب *verberatio.* Formantur autem ab Infinitivo non terminato in ة nomina in ة terminata, actionem unam ſolitariam denotantia; inque triliteris primæ Conjug. habent formam نَصْرَة; in reliquis Conjug. omnibus, eandem cum Infinitivo formam, appoſitô ſolùm ة: ut ضَرَبْتُهُ ضَرْبَةً *verberavi eum verberatione unicâ*; (cùm ضَرَبْتُهُ ضَرْبًا ſignificet, *verberavi eum verberando:*) & propterea vox وَاحِدَة *una*, tunc nunquam adhibetur, ut aliàs fit. Arabibus autem talia nomina dicuntur *Nomina vicis.* Eodem modo formantur etiam Nomina actionem excellentem denotantia; ſuntque in prima Conj. triliterorum formæ نِصْرَة, ut هُوَ حَسَنُ ضِرْبَةٍ, *Ipſe bonus eſt quà excellentem verberationem.* (*Conf. Syntaxin Nom.*) In reliquis Conjug. non differunt à nominibus vicis.

§. 2. NOMINALIA Derivativa ſunt vel

Poſſeſſiva, quæ ſignificant poſſeſſionem, & formantur à quovis ſubſtantivo, adjectione يّ: ut اِنْسَان *homo*, اِنْسَانِيّ *humanus.* Quod ſi Subſtantivum in literas ة vel يّ terminetur, illæ tunc abjiciuntur: ut مَائِدَة *Menſa*, مَائِدِيّ *menſalis:* حُبْلَى *gravida mulier*, حُبْلِيّ *ad gravidam pertinens*, ي ultimô interdum etiam in و mutatô: ut حُبْلَوِيّ *pro eodem.* Sic & Gentilia formantur,

 in

ut مِصْرُ *Ægyptus*, مِصْرِيٌّ *Ægyptius*; in quorum Substantivis si terminatio يَّةٌ, est, ea tota perit: ut هُلَنْدِيَّةٌ *Hollandia*, هُلَنْدِيٌّ *Hollandus*.

Diminutiva, quæ significant diminutionem, & pejoris notæ nec non spurias res suorum primitivorum: suntque in triliteris formæ نُصَيْرٌ, in quadriliteris قُمَيْطِرٌ: ut عُبَيْدٌ *servulus*, ab عَبْدٌ *servus*; عُصَيْفِيرٌ *passerculus*, ab عُصْفُورٌ *passer*.

Augmentativa sunt, quæ intendunt significationem suorum primitivorum; sub formis مِنْصَارٌ, نَصِرٌ, نَصُورٌ, نَصَّارٌ, نِصْبِيرٌ.

Localia notant locum suorum primit: suntque vel Collectiva, denotantia locum, ubi res copiosè & abundanter sunt, sub forma مَنْصَرَةٌ: ut مَأْسَدَةٌ *locus leonibus refertus*, ab أَسَدٌ *leo*: vel Singularia denotantia locum, in quo res aliqua reponitur, sub forma مِنْصَرٌ vel مِنْصَارٌ vel مِنْصَرَةٌ: ut مِقْلَمٌ, *calamarium*, à قَلَمٌ *calamus*.

§. 3. Ad Species Nominum referenda etiam sunt NUMERALIA; quorum Cardinalia, ut apud Ebræos fit, à tribus ad decem inclusivè, sub terminatione masc. generis, fœminina sunt & contra; reliqua ad viginti usque communia: nec non à tribus ad decem in plurali suo tot denarios significant quot unitates denotabat ejus singulare.

Cardinalia sunt:

Fœm.	Masc.		Fœm.	Masc.		Fœm.	Masc.	
ثَمَانٍ	ثَمَانِيَةٌ	8.	أَرْبَعٌ	أَرْبَعَةٌ	4.	إِحْدَى	أَحَدٌ	1.
						vel		
تِسْعٌ	تِسْعَةٌ	9.	خَمْسٌ	خَمْسَةٌ	5.	وَاحِدَةٌ	وَاحِدٌ	
عَشْرٌ	عَشَرَةٌ	10.	سِتٌّ	سِتَّةٌ	6.	اِثْنَتَانِ	اِثْنَانِ	2.
			سَبْعٌ	سَبْعَةٌ	7.	ثَلَاثٌ	ثَلَاثَةٌ	3.

Reli-

Reliqua à 10 ad 20 componuntur ex iisdem, minori numerô perpetuò præmissô, idque sine Conjunct. copulativa; ut

	Masc.	Fœm.
11.	أَحَدَ عَشَرَ	إِحْدَي عَشْرَةَ
12.	إِثْنَا عَشَرَ	إِثْنَتَا عَشْرَةَ
13.	ثَلَاثَةَ عَشَرَ	ثَلَاثَ عَشْرَةَ
14.	أَرْبَعَةَ عَشَرَ	أَرْبَعَ عَشْرَةَ

Et sic in cæteris: in quâ compositione notandum, عَشَرَ regulariter fieri masculinum rursus, & عَشْرَةَ fæmin.; & omnia terminari nudâ vocali Fatha, idque in omni Casu: unde ن Casuale in اثْنَانِ & اثْنَتَانِ perit, ا autem tunc finale, in casibus obliquis mutatur in يِ: ut اثْنَي عَشَرَ, & Fœm. اثْنَتَي عَشَرَ. Reliqua sunt:

20.	عِشْرُونَ	50.	خَمْسُونَ	80.	ثَمَانُونَ	200.	مِائَتَانِ
30.	ثَلَثُونَ	60.	سِتُّونَ	90.	تِسْعُونَ	1000.	أَلْفٌ
40.	أَرْبَعُونَ	70.	سَبْعُونَ	100.	مِائَةٌ	2000.	أَلْفَانِ

Intermedia horum componuntur ex his & prioribus per copulat. Conjunctionem و, absque ulla mutatione in omni Casu: ut أَحَدٌ وَعِشْرُونَ 21. *in Nomin. Plur.* أَحَدٍ وَعِشْرِينَ *idem, in Gen. Plur.* أَحَدًا وَعِشْرِينَ *idem, in Accus. Plur.* & sic in cæteris.

Ordinalia sunt:

	Masc.	Fœm.		Masc.	Fœm.		Masc.	Fœm.
1us.	أَوَّلُ	أُولَي	5us.	خَامِسٌ	خَامِسَةٌ	9us.	تَاسِعٌ	تَاسِعَةٌ
2us.	ثَانٍ	ثَانِيَةٌ	6us.	سَادِسٌ	سَادِسَةٌ	10us.	عَاشِرٌ	عَاشِرَةٌ
3us.	ثَالِثٌ	ثَالِثَةٌ	7us.	سَابِعٌ	سَابِعَةٌ			
4us.	رَابِعٌ	رَابِعَةٌ	8us.	ثَامِنٌ	ثَامِنَةٌ			

In reliquis denariis non differunt Ordinalia à Cardinalibus: ut عِشْرُونَ, *vigesimus,ma*; ثَلَاثُونَ *trigesimus,ma. &c.*

Intermedia denariorum componuntur ex his & prioribus, terminatione itidem semper fathatâ, & mediante copulativâ Conjunct. و à vigesimo ad centes. ut

	Masc.	Fœm.		Masc.	Fœm.
11us.	حَادِي عَشَرَ	حَادِيَةَ عَشْرَةَ	13us.	ثَالِثَ عَشَرَ	ثَالِثَةَ عَشْرَةَ
12us.	ثَانِي عَشَرَ	ثَانِيَةَ عَشْرَةَ	21us.	حَادِي وَعِشْرُونَ	حَادِيَةٌ وَعِشْرُونَ

Et sic reliqua. Usurpatur autem pro Numero Ordinali Cardinalis, cùm numeratum non est restrictum. De construct. Numeralium cum Nomin. *V. inf. Cap.* VI. *Syntax. Sect.* II. §. 4.

SECTIO III.

DE FORMA NOMIN.

FORMA Nominum est duplex, Nuda & Aucta: Nuda est, quæ solis radicalibus constat: ut عَبْدٌ *servus*, رَجُلٌ *vir.*

Aucta est, quæ præter radicales habet unam aut plures è literis his servilibus يتسمنا: quæ formationi Nominum inserviunt, vel in princip. vel med. vel fine: ut ذِكْرَى *recordatio*, حُجَيْرٌ *lapillus*, &c. ت verò in fine tunc plerumque per ة scribitur: ut رَحْمَةٌ *misericordia.* م tamen initiô frequentiùs servit: ut مَوْضِعٌ *locus*; raro in fine: ut ابْنَمٌ *filius*: ن in principio & fine: ut غُفْرَانٌ *remissio*, انْقِطَاعٌ *abstinentia*: sic ا in principio, ut أَسْوَدُ *niger*; & in fine, quô casu aliud Elif quiescens ante se habet: ut كِبْرِيَاءُ *superbia.*

SECTIO IV.

DE GENERE ET MOTIONE, NEC NON COMPARATIONE NOMIN.

§. I. GENUS hic duplex est; Masculinum & Fæmin. cognoscituque

fciturque ut in reliquis Orientalibus, *Vel è fignificatione*; fic Fœminina funt nomina Mulierum, Region. Urb.&c. nec non geminorum membrorum; ut يَدٌ *manus*, عَيْنٌ *oculus*: & infuper hæc; أَرْضٌ *terra*, خَمْرٌ *vinum*, بِئْرٌ *puteus*, نَارٌ *ignis*, رِيحٌ *ventus*, نَفْسٌ *anima*, شَمْسٌ *Sol*, & pauca alia: *Vel è terminatione*; funtq; *Terminationes fœmininæ* Nominum

§. 2. (1.) ةٌ, ut قَصْعَةٌ *fcutella*; & in hanc moventur abfque ulla Mafculini mutatione, ut طَيِّبَةٌ *bona*, à طَيِّبٌ *bonus*. Rariffimè & Mafculina occurrunt hujus terminationis: ut خَلِيفَةٌ *Summus Imperator*; quod tunc eft ة ἐξοχῆς, femperque notat fupremam præcellentiam.

(2.) آءٌ, ut مَشْيُوخَآءٌ *multitudo fenum*, atque in hanc movent Fœmininum Adjectiva Pofitiva formæ أَنْصَرُ; ut صَفْرَآءُ *flava*, ab أَصْفَرُ *flavus*; fcil. abjecto ا initiali, & promotis vocalibus.

(3.) ي, ut ذِكْرَي *recordatio*: atque hanc terminationem in Fœmin. fumunt Comparativi & Superlativi: ut & Adjectiva quædam formæ نَصْبَي: & forma horum Fœmininorum eft نُصْرَي; ut طُولَي *longior* vel *longiffima*, Fœmin. ab أَطْوَلُ *longior* vel *longiffimus*: fic كُبْرَي *major* vel *maxima*, ab أَكْبَرُ *major* vel *maximus*. Huc pertinet أُولَي *prima*, ab أَوَّلُ *primus*; أُخْرَي *alia* ab آخَرُ *alius*. اِحْدَي *una*, ab أَحَدٌ *unus* cum Cefrà. Eadem terminatio Fœm. formatur interdum ab Adjectivis formæ نَصْرَانُ, & tunc forma Fœmin. eft نَصْرَي, ut غَضْبَي *irata*, à غَضْبَانُ *iratus*.

Nota, (1.) Motio fub prima terminatione Fœmininâ etiam accidit, (α.) Subftantivis quibufdam Mafculinis fexum fignifican-

 tibus:

tibus: ut رَجُلٌ *vir*, رَجُلَةٌ *mulier*: فَتًى *puellus*, فَتَاةٌ *puella*. &c. (β.) Substantivis Masculinis significantibus res habentes partes homogeneas, Fœmininô tunc partem illarum significante: ut ذَهَبٌ *aurum*, ذَهَبَةٌ *particula auri*.

(2.) Cum Neutrum Genus Arabes non agnoscant, hinc pro Adjectivis Neutris substantivè usurpandis adhibent Fœm. ut وَاحِدَةٌ تَعُوزُكَ *unum deest tibi*.

§. 3. Reliqua omnia sunt Masculina: nisi quod quinq; hæ formæ Masculinorũ sub eadem terminatione ferè generis Commun. sunt; nim. 1. نَصُورٌ, 2. مِنْصَرٌ, 3. مِنْصَارٌ, 4. مِنْصِيرٌ, atq; hæc activè sumta, 5. نَصِيرٌ passivè sumtum. Rariùs tamen in Fœmin. assumunt ة: ut مِسْكِينٌ *pauper*, مِسْكِينَةٌ *pauper* Fœmin. Sic Literarum nomina sunt Generis Communis: ut أَلِفٌ, بَآءٌ; sæpius tamen Fœminina.

§. 4. Comparativus fit à Positivo præfixo أ, estque formæ أَنْصَرُ, habens post se particulam مِنْ: ut أَعْظَمُ مِنَ ٱلْمَلِكِ *major Rege*; sic أَحَبُّ *carior*, (pro أَحْبَبُ *sec. Reg. Spec.* IV.) Superlativum nostrum eâdem formâ exprimunt Arabes, sed absque particula مِنْ, ut ٱللَّهُ أَعْلَمُ, *Deus est scientissimus*: aut in regimine; ut أَحْسَنُ ٱلنَّاسِ *optimus hominum*.

Sectio V.

DE DECLINATIONE, NUMERO, CASU, ET ABIECTIONE NUN CASUALIS NOMINUM.

Declinatio Arabum est unica & simplex; cujus terminationes, formas & anomalias sub unoquoque Numero, cui ea accidunt, exponemus.

§. 1. Sin-

§. 1. SINGULARIS Numeri Nominativus terminatur per ُ Genit. per ِ Accusat. per ً : ut رَجُلٌ *Vir*, رَجُلٍ *Viri*, *o*, رَجُلًا *Virum*. (*De absentia autem nunnationis in Invariabilibus, eorumque duabus tantum terminationibus, mox infra dicemus.* §. 10.)

§. 2. DUALIS Numerus Singulari suo adjicit, sine ulla mutatione ejus formæ, in Nominat. ـَانِ, in Genit. & Accus. ـَيْنِ : ut رَجُلَانِ, رَجُلَيْنِ : sic فَتًى *puer*, فَتَيَانِ, فَتَيَيْنِ. In fine tamen mutat tum ة Fœmininum in ت ; ut مَدِينَةٌ *civitas*, مَدِينَتَانِ *duæ civitates* : tùm servile ا seu ء in و ; ut صَفْرَآءُ *flava*, صَفْرَاوَانِ *duæ flavæ*, secund. Reg. Gen. IV. m. 2. Si autem ء illud vicarium sit τῶν و & ي (*sec. Reg. Gen.* III. *m. ult.*) liberè in Duali vel manet, vel mutatur in و : ut رِدَآءٌ, *vestis*, رِدَآءَانِ, & رِدَاوَانِ *duæ vestes*.

§. 3. PLURALIS Numerus fit à Singulari suo dupliciter :

(1.) *Perfectè*, & dicitur Plurale *Sanum*, terminatque
- Mascul.
  - Nominat. in ـُونَ : ut مُؤْمِنٌ *credens*, مُؤْمِنُونَ *credentes*.
  - Gen. & Acc. in ـِينَ : ut مُؤْمِنِينَ *credentium, es*.
- Fœmin.
  - Nom. in ـَاتٌ : ut أُمَّهَاتٌ *matres*.
  - Genit. & Accus. in ـَاتٍ : ut أُمَّهَاتٍ *matrum, es*.

In *Forma* Singularis sui, (observatis tantùm Regulis de Lit. اوي permutatione) nihil aliud mutat, quàm quod terminationem ejus Fœm. ة abjicit : ut نَاصِرَةٌ *adjuvans*, نَاصِرَاتٌ *adjuvantes* : & quod Substantiva Fœminina (siquidem à Verbis imperfectis non descendant,) sive Nuda, sive solô ة Aucta, in media radicali gjezmata talem sumunt vocalem, qualem habet prima radicalis :

ut

ut دعد *Daado*, nomen mulieris, دعدات: si autem prima radicalis habet Damma vel Cesra, liberè Gjezma vel manet, vel in Fatha mutatur: ut جمر *zjomro*, جمرات, جمرات, & جمرات. Nomina autem Plurale Sanum formantia sunt partim nomina Propria Rationalium; partim Adjectiva, quorum Fœminina sunt terminationis ة, cùm itidem de Rationalibus prædicantur: ut فرح *latus*, فرحون *lati*, (scil. *homines*,) quod imitantur quandoq; Fœminina irrationalium: ut أرضات *terræ*. (*De terminatione plurali Invariabilium. V. infra* §. 10. *n.* 2.)

§. 4. (2.) *Imperfectè*, & dicitur Plurale *Fractum*; fitq; à plerisq; singularibus tam rationalibus quam irrationalibus, & terminat in utroque genere Nominat. in ـُ Genit. in ـِ Accusat. in ـَ, ut عمود *Columna*, Plur. عمد & عمد, عمد, عمدا, *Columnæ, arum, as.*

Formæ autem hujus Pluralis Fracti

§. 5. (*a.*) *In Triliteris* quidem ita variant, ut præcipuæ, & plerumque à Nudis Triliteris aut eorum Fœmininis ortæ numerentur XXII; quas formas omnes licet memoriæ statim imprimere non opus sit, sed longè feliciùs in ipso simul addiscantur linguæ usu, quem facilem aperire unicus præceptorum horum finis est; nihilominùs ne inquisituros in has, vel eâ in parte destituant, placuit eas alicubi emendatas, quatuor etiam aliis adauctas, è Cl. Dn. Erpenio, prout Arabizantium ille sui seculi Phœnix solertissimô studiô indagavit, plenioris doctrinæ gratiâ hùc inserere; suntque seqq.

1. نصر, fit à Singularibus, نصرة & نصري; ut غرفة *cœnaculum*, غرف *cœnacula*: كبري *maxima*, كبر *maximæ*. Raro autem fit à نصرة & نصرة: ut قرية *pagus*, قرى *pagi*.

2. نصر, fit à Substantivis quadriliteris, quorum ultima non est و vel ي, penultima autem اوي quiescens: ut جدار *paries*, جدر

جُدُرٌ *parietes:* عَمُودٌ *columna,* عُمُدٌ *columnæ;* دَلُولٌ *demonstratio,* دُلُلٌ ; سَرِيرٌ *solium,* سُرُرٌ. Sed mediam radicalem tertiæ similem habentia interpositô ا quiescente (ut حُجَاجٌ) sæpiùs formam decimam quartam obtinent.

3. نُصْرٌ, fit ab Adjectivis masculinis formæ أَنْصَرُ, & Fœmininis eorū نَصْرَاءُ : ut أَحْمَرُ *ruber* & حَمْرَاءُ *rubra,* حُمْرٌ *rubri & rubræ.*

4. نِصَرٌ, fit à Singulari نِصْرَةٌ : ut قِرْبَةٌ, *uter utris,* قِرَبٌ, سِكَّةٌ *moneta,* سِكَكٌ.

5. نِصَارٌ, fit (α.) à نَصْرٌ, نُصْرٌ, نِصْرٌ, & نَصَرٌ : ut قِدْحٌ *telum absque cuspide,* قِدَاحٌ ; رُمْحٌ *hasta,* رِمَاحٌ ; رَجُلٌ *vir,* رِجَالٌ. (β.) à نَصْرٌ & نَصْرَةٌ & نُصْرَةٌ ; ut كَعْبٌ *calcaneus,* كِعَابٌ ; ثَوْبٌ *vestis,* ثِيَابٌ, و in ي *mutato sec. Reg. Gen.* V. (γ.) à Substantivis نَصَرٌ & نَصَرَةٌ non habentibus secundam radicalem tertiæ similem, aut و vel ي : ut جَبَلٌ *mons,* جِبَالٌ *montes.* (δ.) ab Adjectivis نَصِيرٌ & نَصِيرَةٌ : ut شَرِيفٌ & شَرِيفَةٌ *nobilis,* شِرَافٌ : (V. etiam formam 21.) non tamen à Participiis formæ نَصِيرٌ passivè sumtis: ut قَتِيلٌ *occisus.* (ε.) ab Adjectivis نَصْرَانُ & نَصْرَانَةٌ : ut نَدْمَانُ & نَدْمَانَةٌ *pænitens,* نِدَامٌ. (ζ.) ab Adjectivis نَصْرَانُ & نُصْرَانَةٌ : ut خَمْصَانُ & خَمْصَانَةٌ *esuriens,* خِمَاصٌ.

6. نُصُورٌ, fit à Substantivis نَصْرٌ, نِصْرٌ, نُصْرٌ, نَصَرٌ & نَصِرٌ :

 ut

ut بَزْرٌ *ſemen*, بُزُورٌ : جُنْدٌ *exercitus*, جُنُودٌ : & interdum quoque à نَاصِرٌ ; ut شَاهِدٌ *teſtis*, شُهُودٌ.

7. نُصَّرٌ, fit à نَاصِرٌ & نَاصِرَةٌ Participiis, ſed ſubſtantivè acceptis, (ſi enim Participia eſſent, regulariter formarent Plurale, V. ſupra Paradig.) quorum ultima radical. non eſt و vel ي : ut ضَارِبٌ & ضَارِبَةٌ *verberans*, ضُرَّبٌ *verberantes*. Sed differentiæ cauſa Maſculinum interdum aſſumit ا ante ult. radicalem, ut ضُرَّابٌ, *idem*.

8. نَصَرَةٌ, fit à rationali formæ نَاصِرٌ, non habentis ultimam و vel ي : ut كَامِلٌ *perfectus*, كَمَلَةٌ . بَارٌّ *juſtus*; بَرَرَةٌ.

9. نُصَرَةٌ, fit à forma نَاصِرٌ quieſcentis ultimâ : ut رَامٍ *projiciens*, رُمَاةٌ ; غَازٍ *oppugnans*, غُزَاةٌ ; (*ultimâ Quieſcente in* ا *mutatâ, ſec. Reg. Gen.* III. *m.* 2.)

10. نِصَرَةٌ, fit à Subſtantivo نُصْرٌ : ut كُوزٌ *vaſculum*, كِوَزَةٌ ; & à paucis formæ نَصْرٌ & نِصْرٌ : ut زَوْجٌ *maritus*, زِوَجَةٌ ; قِرْدٌ *ſimia*, قِرَدَةٌ.

11. نِصْرَةٌ, fit à Nominibus نَصَرٌ, نَصْرٌ, نُصْرٌ, نُصَارٌ, نَصَارٌ, & نَصِيرٌ : ut فَتًى *puer*, فِتْيَةٌ ; أَخٌ *frater*, إِخْوَةٌ ; (*ubi* و *in Singulari abjectum redit, eſt enim* أَخٌ *pro* أَخَوٌ :) غَزَالٌ *cervus*, غِزْلَةٌ.

12. أَنْصُرٌ, fit à Subſtantivo نَصْرٌ non habente mediam و vel ي ; ut : وَجْهٌ *facies*, أَوْجُهٌ : دَلْوٌ *ſitula*, أَدْلٍ ; (*ſcil.* و *in fine excidente*,

dente, sec. Reg. Gen. V. *m.* 2.) *sic* صُبَيٌّ *pipitus murium*, أَصْبٌ; (pro أَصْبِيٌ *sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) Fit etiam à quibusdã formæ نَصْرٌ, & à Substantivis Fœmininis non terminatis ة, nec non iisdem quadriliteris quorum ultima non est اوي quiescens; ut ذِرَاعٌ *brachium*, أَذْرُعٌ; يَمِينٌ *dextra*, أَيْمُنٌ.

13. أَنْصَالٌ, fit à Substantivis trium literarum, cujusvis formæ (præter نَصْرٌ) non habentis mediam و vel ي, aut ultimam penultimæ similem; ut مَطَرٌ *pluvia*, أَمْطَارٌ; اِبِلٌ *Camelus*, آبَالٌ; (*excidente* ا *radicali, sec. Reg. Gen.* IV. *m.* 2.) يَوْمٌ *dies*, أَيَّامٌ, *pro* أَيْوَامٌ, *sec. R. G.* III. طَرَبٌ *gaudium* أَطْرَابٌ, (sed ab hac forma نَصْرٌ sæpius venit Plurale decimum septimum نِصْرَانٌ.) رَحًى *mola*, أَرْحَاءٌ; خَنًى *bucerda*, أَخْنَاءٌ; (*in quibus ultima radicalis mutatur in Hamza, sec. Reg. Gen.* III. *m.* 4.) اِبْنٌ *filius*, أَبْنَاءٌ (*ubi redit ultima radicalis* ي, *quæ in Singul. exciderat, & mutatur in* ء *sec. eandem Reg.*)

14. أَنْصِرَةٌ, fit à multis Substantivis Masculinis quadriliteris quarum penultima est aliqua quiescentium اوي: ut قِلَادٌ *torques*, أَقْلِدَةٌ; اِلَهٌ *Deus*, (pro اَلِاهٌ *abjecto* ا *sec. Reg. Gen.* II. *m.* 2.) آلِهَةٌ, (*ubi radicale* ا *excidit, sec. Reg. Gen.* IV. *m.* 2.) عَمُودٌ *Columna*, أَعْمِدَةٌ: & sic ferè perpetuò secundam radicalem tertiæ similem habentia, & quorum tertia radicalis est و vel ي formarum نِصَارٌ & نُصَارٌ: ut بَتَاتٌ *suppellex* أَبِتَّةٌ: اِمَامٌ *Antistes*, أَئِمَّةٌ

أَيْمُنٌ, (| *se accommodante sec. Reg. Gen.* IV. *m.* 1.) Atque hæc ferè significant Plurale paucitatis.

15. نَوَاصِرُ, fit à Sing. نَاصَرٌ : ut طَابَقٌ *sartago,* طَوَابِقُ : & ab Adjectivo نَاصِرٌ & Fœmin. ejus, نَاصِرَةٌ : ut ضَارِبٌ *verberans* & Fœm. ضَارِبَةٌ , ضَوَارِبُ *verberantes :* à Masculino tamen rationali formæ نَاصِرٌ rariùs fit hoc plurale. Sed pertinet hæc forma Plur. potiùs ad quadrilitera, de quibus inf. (*V. & Reg. Gen.* IV. *m.* 2.)

16. نَصَائِرُ, fit ab hisce quinque formis & earum Fœmininis:

نُصَارٌ	نَصَارٌ	نِصَارٌ	نَصُورٌ	نَصِيرٌ
نُصَارَةٌ	نَصَارَةٌ	نِصَارَةٌ	نَصُورَةٌ	نَصِيرَةٌ

ut: شِمَالٌ *sinistra,* شَمَائِلُ ; سَحَابَةٌ *nubes* , سَحَائِبُ ; عُقَابٌ *calcaneus,* عَقَائِبُ ; رِسَالَةٌ *epistola,* رَسَائِلُ ; &c.

17. نِصْرَانٌ, fit à Singulari نُصَارٌ & نُصَرٌ : ut غُلَامٌ *puer,* غِلْمَانٌ : & sæpè etiam à Concavis و formarum نُصْرٌ & نَصَرٌ : ut حُوتٌ *piscis,* حِيتَانٌ ; قَاعٌ *ager,* قِيعَانٌ.

18. نُصْرَانٌ, fit à Substantivis نَصْرٌ , نَصَرٌ & نَصِيرٌ quorum media radicalis non est و vel ي : ut سَقْفٌ *tectum,* سُقْفَانٌ ; بَلَدٌ *regio, provincia,* بُلْدَانٌ.

19. نُصَرَاءُ, fit ab Adjectivo rationali نَصِيرٌ, cujus tertia radicalis

calis non est secundæ similis, aut و vel ي: ut شَرِيفٌ *nobilis*, شُرَفَاءُ ; كَرِيمٌ *honorabilis*, كُرَمَاءُ.

20. أَنْصِرَاءُ, fit ab Adjectivo rationali formæ نَصِيرٌ, cujus tertia radicalis est secundæ similis, aut و vel ي: ut حَبِيبٌ *dilectus*, أَحِبَّاءُ, (*pro* أَحْبِبَاءُ *sec. Reg. Spec.* IV.) وَلِيٌّ *amicus*, أَوْلِيَاءُ ; & in paucisf. perfectis: ut صَدِيقٌ *verax*, أَصْدِقَاءُ ; sicut contra imperfecta quædam habent præced. formam نُصَرَاءُ: ut تَقِيٌّ *pius*, تُقَوَاءُ.

21. نَصْرَى, fit ab Adjectivis formæ نَصِيرٌ, & interdum quoque نَاصِرٌ vel نَصِرٌ, significantibus dolorem aut aliquam affectionem: ut جَرِيحٌ *vulneratus*, جَرْحَى ; قَتِيلٌ *occisus*, قَتْلَى.

22. نَصَارِي, fit à Singulari نَصْرَاءُ: ut صَحْرَاءُ *ager*, صَحَارِي.
Addi his possunt Formæ

23. نُصَّرٌ, à Singul. نَاصِرٌ, *V. Fabricii Specimen Arabic. p.* 111.

24. نَصَرٌ, à Singulari نَصِرٌ.

25. نَصَامٌ, à Singularibus quibusdam formæ نَصِيرٌ.

26. نِصَارَةٌ, à Substantivis نَصْرٌ, & paucis نَصَرٌ vel نَصْرٌ.

Si quæ aliæ præter enumeratas formas occurrunt, quales non adeò multæ erunt; peculiares sunt & usu notandæ; ut etiam si quæ harum pluribus Singularibus communes sunt. Ea autem Singularia, quæ diversis formis Pluralibus communia sunt, diversa quoque utplurimum habent Pluralia: ut نَفْسٌ *anima*, نُفُوسٌ

& أَنْفُسٌ *animæ*; (sec. formam 6 & 12.) غُلَامٌ *puer*, غِلْمَةٌ & غِلْمَانٌ *pueri*: عَيْنٌ *oculus*, أَعْيَانٌ & عُيُونٌ *oculi*: رَغِيفٌ *libum*, رُغْفَانٌ & أَرْغِفَةٌ: سُورٌ *murus*, أَسْوَارٌ & سِيرَانٌ *muri*: جَفْنٌ *corpus*, جُفُونٌ & أَجْفَانٌ *corpora*: عَبْدٌ *servus*, عِبَادٌ, عُبُودٌ, عُبْدَانٌ & quoque عَبِيدٌ *servi*: بَحْرٌ *mare*, بِحَارٌ, بُحُورٌ, & أَبْحُرٌ *maria*: شَاهِدٌ *testis*, شَاهِدُونَ, شُوَاهِدٌ, شُهُودٌ *testes*: non tamen semper omnia illa, quæ à talibus formis derivari possunt; interdum verò unum tantùm; ut à رَجُلٌ *Vir*, solum fit رِجَالٌ; ab أَمْرٌ *negotium*, solum أُمُورٌ: quæ usus docebit.

Nota, Cum Formæ undecima, duodec. decima tert. & decima quarta à tali sunt Singulari, cujus adhuc aliud exstat Plurale; dicuntur Pluralia paucitatis; & usurpantur tantùm cum Numeralibus.

§. 6. *(β.) Quadrilitera* autem Nuda omnia, & Aucta pleraque horumque Fœminina, formant Plurale Fractum assumptô ا quiescente post secundam literam, quæ unà cum prima Fatham tunc accipit, tertia Cesram; ut fit formæ قَمَاطِرُ & قَمَاطِرٌ, (*V. seq.* §. 10. *n.* 2.) *utrumque enim exemplis probatum*: ut ضِفْدَعٌ *rana*, ضَفَادِعُ: مَدْخَلٌ *vestibulum*, مَدَاخِلُ. Pro illo Cesra verò, cum ultima litera quiescens est, interdum Fatha sumitur: ut عَذَارَى, (*ie Damma suô carente, sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) pro عَذَارِي, *virgines*, à Singulari عَذْرَاءُ. Quod si ante ultimam radicalem sit aliqua literarum اوي quiescens, plerumq; ea manet conformans se, si sit heterogenea, *sec. Reg. Gen.* 11. *m.* 1: ut قِنْدِيلٌ *candela*, قَنَادِيلُ: interdum verò excidit, compensante eam in fine ة: ut اِبْلِيسُ *Diabo-*

Diabolus, أَبَالِيسُ & أَبَالِسَةٌ. Aliàs ة finale Singularis Numeri hìc excidit: ut مَزْبَلَةٌ *fimetum*, Plur. مَزَابِلُ. Interdum etiam redundat ornatus gratiâ: ut أُسْقُفٌ *Episcopus*, أَسَاقِفُ & أَسَاقِفَةٌ: frequentissimè autem adhibetur in Nomin. Barbaris.

Quædam Triliterorum Auctorum Pluralia Fracta formant ex se aliud secundùm Plurale juxta hæc quadrilitera: ut أَظَافِيرُ ab أَظْفَارٌ *ungues*, scil. unum Plur. ab alio ob copiam sermonis. Sic Adjectiva quædam formæ أَفْعَلُ, *(quæ aliàs in Plur. formam tertiam fractam Triliterorum habent,)* hanc Quadriliterorum formam assumunt: ut أَسْوَدُ *niger*, أَسَاوِدُ: ita & Comparativa, ut أَصْغَرُ *minor, minimus*, أَصَاغِرُ. Ad hanc formam Quadriliterorum commodè etiam reduci possunt forma 15ª & 16ª Triliter.

§. 7. (γ.) *Pentagrammata*, vel pluribus constantia literis (non annumeratis ة & اوي quiescentibus) sequuntur formam Quadriliterorum, sed unâ vel pluribus literis abjectis: & Nuda quidem Pentagrammata interdum abjiciunt ultimam, interdum penultimam: ut سَفَرْجَلٌ *malum Cydonium*, سَفَارِجُ: خَدَرْنَقٌ *aranea*, خَدَارِقُ & خَدَارِنُ: interdum utraque manet, si nim. penultima sit و vel ي diphthongescens cum Fatha: ut فِرْعَوْنُ *Pharao*, فَرَاعِينُ. *(mutatô و in ي ob præced. Cesra, sec. Reg. Gen. 11. m. 1.)* Aucta verò abjiciunt serviles, præter م serviens cum ن vel cum ست: ut مُنْطَلِقٌ *solutus*, مَطَالِقُ; مُسْتَخْرِجٌ *eductor*, مَخَارِجُ.

§. 8. *Anomala* quædã dantur etiã Pluralia, ab alienis Singularibus formata: ut أُمٌّ *mater* in Plur. habet أُمَّهَاتٌ, quasi ab أُمَّهَةٌ; sic فَمٌ *os*, أَفْوَاهٌ; quasi à فُوهٌ: دُخَانٌ *fumus*, دَوَاخِنُ; quasi ab دَاخِنٌ:

مَاءٌ

مَآءٌ *aqua*, أَمْوَاهٌ & مِيَاهٌ ; quasi à مَاهٌ : امْرَأَةٌ *mulier*, habet نِسَآءٌ, نِسْوَةٌ & نِسْوَانٌ : sic انْسَانٌ *homo*, أَنَاسٌ ; & sic pauca alia.

§. 6. CASUUM non sunt plures terminationes tribus; ceu ostensum: sub Genitivo igitur semper & Dativus & Ablativus noster comprehenditur. VOCATIVUS verò per Accusat. effertur: ut يَا رَجُلاً *ô Vir*. Quod si sit nomen Proprium, vel Appellativum cum Articulo, aut absolutè positum significans rem quam vocans intuetur; per Nominativum absque nunnatione: ut يَا مُحَمَّدُ *ô Mohammed*, يَا رَجُلُ *ô tu Vir*, (*quem scil. aspicio.*) Si quis ad opem vocetur, non rarò per Genitivum effertur præfixô لَ : ut يَا لَزَيْدٍ *ô Zeide*, (*adjuva*;) vel per Accusat. cum اهْ ; ut يَا زَيْدَاهْ. Adjectivum autem Vocativo appositum, aut Substantivum per Conjunct. copulativam ei adjunctum, indifferenter vel Nominat. vel Accus. terminationem habet, nisi adsit Affixum, tunc enim Accusativi tantùm. Cum verò Vocativo additur *mî*, *mei*, id regulariter fit per Affixum ي : ut يَا غُلَامِي *ô puer mî*; idque interdum fathatum; ut يَا غُلَامِيَ; interdum omissum; ut غُلَامِ, *Conf. Reg. Gen.* 11. *m.* 2. (quin perpetuò ferè omittitur illud affixum hìc, cum præcedit aliud ي ex ء descendens, ut أَبَائِي *patres mei*, أَحِبَّائِي *amici mei*:) rariùs per ا, ut يَا غُلَامَا ; rarissime per simplex Damma, ut: يَا غُلَامُ. Pro أَبِي *Pater mi*, & أُمِّي *mater mea*, interdum dicitur أَبَتِ vel أَبَتَ ; & أُمَّتَ vel أُمَّتِ : quæ specialia sunt. De Enallage Casuum, V. inf. *Synt. Nomin. Cap.* VI. *Sect.* 11. *§.* 3.

§. 10. NUN CASUALE Nominum tàm latitans in Vocalibus nun-

nunnatis, quàm expressum in Duali & perfecto Plurali, abjicitur, (1.) *Ob statum tùm Regiminis, (Conf. inf. Synt. Nom. §. 2.)* ut: كِتَابُ مُوسَى *liber Mosis*, بَنُوا ٱللَّهِ *filii Dei*, pro بَنُونَ ; بَنِي ٱللَّهِ, *filiorum, iis, ios Dei*, pro بَنِينَ: tùm *Affixionis, (Conf. Synt. Pronom. §. 2.)* ut كِتَابُهُ *liber ejus*: sic in Duali, كِتَابَاهُ *libri duo ejus*. Affixum يِ, verò non tantum nunnationem, sed & ipsam vocalem nunnatam planè tollit: ut يَدٌ *manus*, يَدِي *manus mea*: sic أَبِي *pater meus*.

Nota; أَبٌ *pater*, أَخٌ *frater*, حَمٌ *socer*, & interdum هَنٌ *res aliqua*, Nun hôc pactô abjicientes, assumunt ejus loco literam quiescentem, in Nominat. و, in Genit. ي, in Accus. ا: ut; أَبُو دَاوُدَ *pater Davidis*; مِنْ أَبِي دَاوُدَ *à Patre Davidis*; أَبَا دَاوُدَ *patrem Davidis*; أَبُوكَ *pater tuus*; &c. Exc: ante Affixum يِ, de quo paulò ante. (*De Vocativo τοῦ* أَبٌ *V. itidem paulò superiùs.*) ذُو *possessor*, in Regimine (extra quod non usurpatur) habet Genit. ذِي, Accusat. ذَا. Sic فَمٌ *os oris*, in Regim. Genit. habet فِي, (etiam cùm affixo يِ,) Accusat. فَا.

(2.) *In Nominibus Invariabilibus*; quæ propterea in Sing. & Plurali Nominativum terminant in ُ, Genit. & Accus. in َ: ut أَسْوَدُ *niger*, أَسْوَدَ *nigri, o, um*. مَسَاجِدُ *templa*, مَسَاجِدَ *templorum, is, a*: at in Duali semper terminantur juxta variabilia; rariùs & in Plurali. (*In solâ adeò terminatione abeunt à variabilibus, nihil omninò autem in forma.*) Sunt autem Nomina Invariabilia; (α) Adjectiva Positiva & Comparativa formæ أَفْعَلُ, quæ non formant Fœmin. per ة: ut أَحْمَرُ, *ruber*, أَكْبَرُ *major, maximus*. (β) Ad-

jectiva terminata انَ servili, quæ itidem non formant Fœmin. per ة: ut غَضْبَانُ *iratus*, cujus Fœmin. est غَضْبَى, *(V. sup. Sect.* IV. §. 2.) sed quandoque & غَضْبَانَةٌ. (γ.) Terminata ا aut ي servili: ut ذِكْرَى *recordatio*, صَفْرَاءُ *flava*. (δ.) Frequenter Pluralia Fracta formæ نَوَاصِرُ & قَمَاطِرُ vel قَمَاطِيرُ: ut ضَفَادِعُ *ranæ*: si autem ultima radicalis sit litera quiescens, manent variabilia; nisi tamen & illa Cesra penultimum in Fatham mutarint, (*quod quandoque in Quadrilit. fieri modo dictum*, §. 6. *vide ib.*) ubi iterũ fiunt Invariabilia: ut Nomin. عَذَارَى *Virgines*, (pro عَذَارِيُ,) Genit. & Accusat. عَذَارَى (*pro* عَذَارِيَ *sec. Reg. Gen.* VI. *m.* 2.) adeò ut planè ἄκλιτα hôc pactô fiant: sic نَصَارَى *Christiani*, pro نَصَارِيُ & pro نَصَارِيَ. (ε.) Nomina Propria Regionum, Insul. Urb. Montium, Fluviorum, Locorum, Artium, quælibet; Hominum autem pleraque; & è cæteris, Masculina omnia terminata انُ, ut عُثْمَانُ *Othman*, & Barbara pluribus quam tribus literis constantia: ut يَعْقُوبُ *Iacob*, آدَمُ *Adam*; sic Fœminina terminata ة, vel quadrilitera: ut عَيْشَةُ *Aysja*, زَيْنَبُ *Zainab*; vel trilitera, quorum media vocali est mobilis, aut præcedens habet Damma: ut سَقَرُ *Sakar*, جُورُ *Gjour*; at Trilitera non terminata ة, (nisi Barbara sint,) modò variabilia modò invariabilia sunt; dicitur enim سَقَرُ, سَقَرَ; & سَقَرٌ, سَقَرٍ, سَقَرًا: Quod & reliquis Nominibus tàm Invariabilibus quam Variabilibus quandoque contingit, licet rariùs.

(3.) *In Vocalibus Nunnatis* solum Nun abjicitur, (α.) ob Artic. أَلْ tùm præced. tùm subsequentem: ut أَلْكِتَابُ *liber*, رَامِي آلْمَلِكِ

آلْمَلِكِ *Sagittarius Regis*, pro رَامِيٍ, (*nunnatione enim per Artic. seq. ablatâ*, ي *manet. Conf. Reg. Gen.* VI. *m.*2. *fine.*) (β.) In Casu Vocativo exprimendo per Nominat. ut يَا مُحَمَّدُ *ô Muhammed.* (γ.) In Enallage Casus Accusativi pro Nominativo ; de quo *V. inf. Synt. Nomin. Cap.* VI. *Sect.* II. §. 3.

GRAMMATICÆ ARABICÆ

CAPUT QUINTUM. DE PRONOMINE.

PRonomina sunt vel Separata, vel vocibus Affixa:

§. I. *Separata* sunt triplicia: Personalia, Demonstrativa, & Relativa; quæ Genera & Numeros agnoscunt, non autem Casus, præterquam in Duali Demonstrativa & Relativa:

(α.) Personalia sunt hæc:

Plural. 3.	2.	1.	*Dual.* 3.	2.	*Singular.* 3.	2.	1.	Person.
illi, æ,	*vos,*	*nos,*	*illi duo,*	*vos duo,*	*ille, a,*	*tu,*	*ego,*	
هُمْ	أَنْتُمْ				هُوَ	أَنْتَ		Masc.
		نَحْنُ	هُمَا	أَنْتُمَا			أَنَا	Comm.
هُنَّ	أَنْتُنَّ				هِيَ	أَنْتِ		Fœm.

(β.) Demonstrativum; idque vel propinqui, *hic*, est ذَا; & sic flectitur:

Plural.	*Dual.*	*Singular.*
أُولَي أُولَآءِ Comm.	ذَانِ ذَيْنِ	ذَا Masc.
	تَانِ تَيْنِ	ذِهِ ذِهِي ذِي Fœm.
		تِهِ تِهِي تِي تَا &

 vel:

vel remoti, *ille*, est ذَاكَ; & sic flectitur:

Plural.		*Dual.*		*Singular.*	
أُولَائِكَ أُولَاكَ	Comm.	ذَانِكَ ذَيْنِكَ		ذَاكَ	Masc.
		تَانِكَ تَيْنِكَ		تَاكَ	Fœm.

Sed ante كَ illud in Sing. & Plur. non rarò assumitur لِ cum Cesra; ut dicatur ذَالِكَ & additô م paragogicô ذَالِكُمْ: sic تِلْكَ sine Cesra; أُولَالِكَ. Quod si verò لِ illud non assumatur, utrique Demonstrativo tam remoti quam propinqui crebrò præfigitur هَا: ut

Plural.		*Dual.*		*Singular.*	
هٰؤُلَاءِ	Comm.	هٰذَانِ هٰذَيْنِ		هٰذَا	Masc.
		هٰتَانِ هٰتَيْنِ		هٰذِهِ	Fœm.

Nota; τὸ ا in هَا, necnon ذَا ante لِ, plerumque excidit post Fatham, (*ut aliis sæpè vocibus*,) eâdem aut perpendiculari scriptâ, aut pro ea veniente Meddâ. *Conf. Reg. Gen.* 11. *m.* 2.

(γ.) Relativum est أَلَّذِي *qui*, compositum ex Articulo أَلْ & لذي, flectiturque hôc modô:

Plural.	*Dual.*	*Singular.*	
أَلَّذِينَ & أَلْأُلَى & أَللَّاءِ	أَللَّذَانِ أَللَّذَيْنِ	أَلَّذِي	Masc.
أَللَّاتِي & أَللَّوَاتِي & أَللَّاءِ	أَللَّتَانِ أَللَّتَيْنِ	أَلَّتِي	Fœm.

Relativum hoc non admittit constructionem cum servilibus, præterquàm his, فَكَلو; atque rarissimè usurpatur in Casu obliquo: qui proinde defectus supplentur tali constructione; ut pro بِالَّذِي

بِٱلَّذِي *in quo*, dicatur ٱلَّذِي بِهِ quasi *is in quo:* sic pro مِنَ ٱلَّذِي *à quo*, ٱلَّذِي مِنْهُ : pro ٱلَّذِي رَأَيْتَ *quem vidi*, ٱلَّذِي رَأَيْتَهُ.

Nun Duale hìc & in Demonſtrativis euphoniæ cauſâ interdum habet Teſdid. Relativa ſunt & hæc: مَنْ *is qui, & ii qui*; مَا *id quod, & ea quæ*; quorum illud de Perſonis, hoc de rebus dicitur: & utrumque non raro interrogat. De أَيٌّ *quis? qualis? V. inf. Synt. Pronom.* §. 1. *n.* 3.

§. 2. *Affixa* cum Nominibus referunt noſtra Pronomina Poſſeſſiva; cum Verbis, noſtra Perſonalia; fiuntque à Pronominibus ſeparabilibus talia:

	Plural. 3.	2.	1.	*Dual.* 3.	2.	*Singular.* 3.	2.	1. Perſon.
Maſc.	هُمْ	كُمْ				هُ	كَ	
Comm.			نَا	هُمَا	كُمَا			ي
Fœm.	هُنَّ	كُنَّ				هَا	كِ	

Pro ي, ſumunt نِي Verba & Particulæ terminata ن. *Plura de Affixis, V. inf. Synt. Pronom.* §. 2. *De Particulis aliis, V. Synt. Partic. inf.*

GRAMMATICÆ ARABICÆ

CAPUT VI.

DE SYNTAXI.

SECTIO I.

DE SYNTAXI VERBORUM.

Syntaxeos præceptis quam breviſſimis defungemur: cùm præſentis inſtituti ſit, aditum tantùm in hanc linguam facilem aperire,

rire, non multorum Philologematum commentationes simul adornare.

§. 1. Verba Substantiva & Nuncupandi pro Nominativo Latino post se Accusativum habent: ut أَللّٰهُ كَانَ قَدِيرًا *Deus est potens*; ابْنُهُ يُسَمَّى مُحَمَّدًا *Filius ejus vocatur Muhammed.*

Verba Activa pleraque Accusativum regunt, plurima Genitivum mediante Præpositione quâdam; v. gr. ب, ل, عَنْ, عَلَي, الي, مِنْ, في &c. quod usu discendum.

Verba veniendi eleganter etiam per Ellipsin Præpositionis الي *ad*, cum Accusativo construuntur: ut جَاءَني *venit me*, pro *venit ad me*. Verba notitiæ & opinionis eleganter adsciscunt duplicem Accusativum: ut عَلِمْتُ زَيْدًا بَخِيلًا *scio Zeidum avarum esse.*

Verba quædam usque adeò tenacia sunt Præpositionum, ut eas etiam non sequente Nomine exigant: ut لَا أَقْدِرُ عَلَي أَنْ أَقُولَ *non possum super ut dicam*, seu *nequeo dicere.*

§. 2. Enallage Numeri quoq; in Verbis occurrit, quatenus Plurali vel Duali humano (quod sc. significat homines) eleganter præponitur Verbum Singulare, in eodem ferè genere in Præterito, sed non rarò discrepante in Fut: ut قَالَ ٱلنَّاسُ *dixit homines*, pro *dixerunt*. Cum verò Verbum postponitur Nomini, regulariter cum eo convenit.

§. 3. Pro Infinitivo nostro Arabes adhibent vel Nomen Verbale: ut أُرِيدُ ضَرْبًا *cupio verberationem* i. e. *verberare:* vel Futurum, cum Præpositione أَنْ: ut أُرِيدُ أَنْ أَسْمَعَ, *cupio ut audiam.*

Participia cum sæpiùs Nominis naturam induant, fit ut Futur. pro iis interdum usurpetur: ut أَتَوا يَبْكُونَ *venerunt flebunt*, i. e. *venerunt flentes.*

Gerun-

Gerundium in *dum* per Accusativum Nominis Verbalis; in *do* per Accusativum Participii Activi effertur: ut ضَرَبْتُهُ تَأْدِيبًا *verberavi eum ad erudiendum*, جَاءَ رَاكِبًا *venit equitando*.

SECTIO II.

DE SYNTAXI NOMINUM.

§. 1. Concordia Substantivi cum Adjectivo, ut & Pronominis cum Nomine suo, eadem hic est quæ in aliis linguis. Præterea quæ ad eandem Enunciationis partem (sive subjectum sive prædicatum) constituendam concurrunt; eorum si unum restringitur, alterum quoque restringendum est, & contra; *(de Restrict. V. sup. in Qualit. Nom.)* ut الْكِتَابُ الْعَظِيمُ *liber magnus*. Cum verò non constitùunt eandem Enunciationis partem, id non fit: ut اللّٰهُ قَدِيرٌ *Deus* est *potens*. At Nomen Appellativum cum adjuncto Adjectivo nomen Proprium constituens, Articulum illâ ratione accipiendum omittit: ut بَيْتُ الْمَقْدِسِ *domus sanctificata*, i. e. *Hierosolyma*.

Quædam Substantiva, ut نَفْسٌ *anima*, كُلٌّ *universitas*, alii Substantivo postposita, sumunt Affixum isti præcedenti Substantivo conveniens, & fiunt constructione quasi Adjectiva: حَبِيبٌ نَفْسُهُ *amicus anima ejus*, i.e. *amicus ipse*: sic خُبْزٌ كُلُّهُ *panis universitas ejus*, i. e. *panis totus*: & sic porrò in casibus obliquis.

§. 2. Substantivum regit & hic alterum in Genitivo casu, quorum prius hinc, ceu regens, in statu regiminis positum dicitur: ut كُوسُ ذَهَبٍ *cyathus auri*, كُلُّ انْسَانٍ, *universitas hominis*, quod dicunt pro *omnes homines*. Nun casuale verò quomodo in statu Regiminis abjiciatur. *V. sup. Cap. V. Sect. V. de Declin.* §. 10. *n.* 1.

Nomina mensuræ & ponderis regunt numeratum & ponderatum

tum suum in Accusativo: ut قَفِيزٌ شَعِيرًا *modus hordei*, رَطْلٌ زَيْتًا *libra olivarum.*

Ad quæstionem *quando* & *quamdiu*, Nomen respondet in Accusativo casu; at *quanto tempore*, in Genitivo cum Præposit. فِي.

Quod Latini restringunt per *quoad*, *quà*, *quatenus*, id Arabes efferunt per nudum Accusativum: ut طَابَ نَفْسًا *bonus est quoad animam.* Interdum per Genitivum: ut حَسَنُ ضَرْبَةٍ *bonus in verberatione*, seu *quoad verberat.* (*Conf. Cap.* IV. *Sect.* II. §. I. *fine.*)

§. 3. Enallage quoque Numeri, Generis atque Casuum ex elegantiis hujus linguæ est. Hinc Plurale inhumanum (*quod scil. non significat homines*) eleganter construitur cum Singulari Fœminino: ut جَنَّاتٌ تَجْرِي مِنْ تَحْتِهَا ٱلْأَنْهَارُ *horti sub quibus currunt Fluvii*; (ubi جَنَّاتٌ *horti*, Plurale inhumanum, construitur cum Affixo Fœminino Singulari تَحْتِهَا *sub quâ*, & ٱلْأَنْهَارُ *fluvii*, cum تَجْرِي *currit.*)

Enallagen Casus Accusativi pro Nominat. causat influxus Particularum إِنَّ *etenim*, *utique*; أَنَّ *quod*, كَأَنَّ *sicut*, لَكِنَّ & لَكِنَّ *sed*, لَيْتَ *utinam*, لَعَلَّ *fortassis*: ut إِنَّ ٱللّٰهَ غَفُورٌ *Etenim Deus est clemens*: eâ tamen lege, ut nihil intercedat, nisi fortè Præpositio cum suo Casu: ut إِنَّ فِي ٱلدَّارِ رَجُلًا *Utique in domo est homo.* Particulæ إِنَّ & لَيْتَ in fine مَا assumentes, illa semper hæc interdum virtutem hanc influendi amittunt. At لَا *non est* immediatè præpositum Appellativo Enallagen hanc causat cum abjectione Nun vocalis: ut لَا رَيْبَ فِيهِ *non est dubium in eo*: Sed iteratum cum iteratis Appellativis liberè influit in eorum alterutrum

utrum, vel utrumque : ut لَا حَوْلَ وَلَا قُوَّةَ إِلَّا بِاللَّهِ *non est virtus nec potentia nisi in Deo*; vel etiam لَا حَوْلَ وَلَا قُوَّةٌ, vel لَا حَوْلٌ وَلَا قُوَّةٌ. *(Conf. de variantibus quibusdam Casibus, Cap.* IV. *Sect.* V. §. 9. *med.)*

§. 4. Numeri Cardinales (aliàs Adjectiva) fiunt quasi Substantiva in Regimine; atque à tribus ad decem, & qui supra 99 sunt, regunt numeratum in Genitivo; ita quidem ut minor denariô Pluralem Numerum postulet, centenarius verò & major eô Singularem : ut ثَلَاثُ جَارِيَاتٍ *tres puellarum* quasi dicas: مِائَةُ رَجُلٍ *Centum viri* (*Genit. Singul.*) Reliqua verò à 10 ad 100 regunt numeratum in Accus. Singulari : ut خَمْسَةَ عَشَرَ دِرْهَمًا *quindecim drachmæ.* Quam constructionem etiam sequuntur كَمْ, كَذَا & كَأَيِّنْ; ut كَمْ دِرْهَمًا *quot drachmæ?* Cum Præpositione autem regunt Genitivum : ut بِكَمْ دِرْهَمٍ *in quot drachmis?* Interdum etiam Substantivis postponuntur aliorum Adjectivorum more.

SECTIO III.

DE SYNTAXI PRONOMINUM.

§. 1. Pronomina Personalia tertiæ Personæ sæpè usurpantur pro Verbo Substantivo cujusvis Personæ. Relativum أَيٌّ *quis, qualis?* ut Nomen Substantivum regit Substantivum suum in Genit. Casu : ut أَيُّ كِتَابٍ *qualis liber?* مِنْ أَيِّ كِتَابٍ *è quo* vel *quali libro?*

§. 2. *Affixorum* (1.) in genere ratio hæc est: Damma Affixorum هُ, هُمْ, هُمَا, هُنَّ, ob præcedens Cesra, vel ي vocali destitutum mutatur in Cesra : ut مِنْ رَبِّهِ *à Domino*, فِيهِ *in eo*, عَلَيْهِ *super eo. De Affixorum quorundam conditione ante* ا *unionis. V. sup. Cap.* I. *Sect.* III. §. 4. *n.* 4.

§. 3. (2.) Nominibus Affixa nullam inducunt mutationem, nisi quod Nun Casuale tollunt; de quo sup. *C.* IV. *sect.* v. §. 10. & ة Fœmin. in ت mutant: ut عَمَّةٌ *amita*, عَمَّتُكَ *amita tua*. Affixum ي, cum suffigitur dictioni in اوي vocali destitutis terminatæ, Cesra suum, (quod ordinariè præmissum habet) mutatum in Fatha assumit supra se: ut خَطَايَا *peccata*, خَطَايَايَ *peccata mea*: sic رَامٍ *Sagittarius*, رَامِيَّ *Sagittarius meus*, (ubi *duo* ي per Tesdid coalescunt. *De* ي, *ad Vocativum affigendo, V. sup. de Vocat. Cap.* IV. *Sect.* v. §. 9. *fine*.

§. 4. (3.) Verbis Affixa, ا otiosum post و servile tollunt: ut نَصَرُوا *juverunt*; نَصَرُونَا *juverunt nos*. Et terminationi تُمْ adjiciunt وُ: ut نَصَرْتُمْ *adjuvistis*, نَصَرْتُمُوهُ *adjuvistis eum*. Interdum uni Verbo duo Affixa simul apponuntur: ut يَكْفِيكَهُمْ *sufficit tibi illis*. Possunt quoque Affixa Verbis separatìm apponi, sed præfixô ايَّا: ut نَصَرَ ايَّاكَ *adjuvit te*, ايَّايَ *me*; aut لَ: ut رَدِفَ لَكُمْ pro رَدِفَكُمْ, *ejecit vos*.

Actiones reciprocæ mediante nomine نَفْسٌ cum Affixis exprimuntur: ut أَحْبَبْتُ نَفْسِي *dilexi me*, q. dic. *animam meam*: rarissimè per nudum affixum: أَحِبُّنِي *diligo me*.

Sectio IV.

De Syntaxi Particularum Conjunct. et Separatarum.

§. 1. *Particulæ Conjunctæ* sunt octo literæ أَبْتَسْ فَكَلَوْ; & omnes Fatham possident, exceptis ب & ل, quorum illud Cesram, hoc modò Cesram modo Fatham habet, ut mox constabit: semperque ferè regunt Genitivum.

ا est

ا est nota interrogationis: ut أَمَاتَ *an obiit?* أَأَنْتَ *an tu?* أَفِي *an in?* & vocandi propinquum: ut أَيُوسُفُ *ô Iosephe!*

ب significat *in*, *per*, *propter*, *cum*, &c. ut بِالْمَسْجِدِ *in templo*, بِاللّٰهِ *per Deum*, أَتَوا بِكِتَابٍ *venerunt cum libro*, id est, *attulerunt*; sicque semper cum verbis adventus & discessus construitur, quæ tunc sic quoque exponenda. Interdum Nomini pleonasticè præfigitur: ut أَنَا بِمُؤْمِنٍ *Ego sum in credente*, id est, *credens.* Constructioni quoque verborum peculiariter inservit: ut مَرَّ بِي *præteriit me.* De particula ب insuper notandum, quod in pervulgata illa sententia بِسْمِ ٱللّٰهِ ٱلرَّحْمٰنِ ٱلرَّحِيمِ semper ا unionis voculæ اِسْمٌ expellat (ubi simul & vinculum lit. س quam longissimè protrahitur,) cum aliàs extra hanc sententiam semper maneat, scribaturque بِاسْمِ. Interdum verò & aliæ particulæ ا illud unionis expellunt: ut لِبْنِي pro لِابْنِي *filio meo.*

ت jurandi particula, soli nomini أَللّٰهُ præfigitur: ut تَاللّٰهِ *per Deum.*

س Futuro præfigitur, & valet *pòst*, de quo *V. sup. Cap.* 11. *Sect.* IV. §. 1.

ف significat *ac*, & *dein*; hoc autem sine morâ, in quô differt à ثُمَّ. Sæpè redundat; Imperativo verò præfixum Emphasin singularem importat, & per *igitur* sæpè reddendum est. Interdum significat Relativum *qui.*

ك significat *sicut*, *instar*; nec admittit affixa: ut كَرَجُلٍ *sicut Vir.*

ل (α.) *cum Cesra* est Dativi nostri nota sub terminatione Genitivi: ut لِرَبِّ *Domino.* Exc. ante affixa Fatham tunc habet: ut لَكَ *tibi.* Aliàs significat *ob, propter, ad*; item juramentum cum admiratione: ut لِلّٰه *per Deum!* Quid in Futuro aut Imperativo causet, jam superiùs dictum, *Cap.* II. *Sect.* IV. v. (β.) *Cum Fatha* est nota vocationis ad opem. Interdum per pleonasmum eleganter præfigitur prædicato, cujus subjectum ante se habet إِنَّ: ut إِنَّ ٱللّٰهَ لَقَدِيرٌ *Etenim Deus est potens.* Quando significationem Præteriti aut Futuri mutet, inducatve Apocopen vel Antithesin Fut., *V. it. sup. Cap.* II. *Sect.* III. IV. v. Peculiariter inservit Verbis, affixa ab iis separando: ut رَدَفَ لَكُمْ pro رَدِفَكُمْ *ejecit vos.*

و Copulativa Conjunctio est, *&, etiam*; sed non includit ordinem, ut ف. It. Præpositio significans *cum*, regens Accus. It. Jurandi particula cum Genit. ut وَرَبِّ *per Dominum.*

§. 2. *Particulæ Separatæ* distinguuntur in Adverbia, Conjunctiones, Præpositiones, & Interjectiones: quæ omnes immutabiles sunt. Cæterùm cùm istæ rectiùs ex usu & Lexicis discantur; de iis tantùm agemus, quæ in Constructione peculiare quid habent: ut

مَتَي *quando, cùm*; قَدْ *jam, ante*; juxta Præteritum posita, indicant Præteritum non venire loco Futuri vel Præsentis; Sæpè etiam vacant, aut Emphasin solùm aliquã important. Sicut أ propinquum vocat, *(de quo paulò superiùs,)* sic أَيْ mediocriter distans, أَيَا & هَيَا remotum, يَا omnia. لَيْسَ *non*, conjugari quoque potest instar Præteriti, venitque pro verbo Substantivo negante: ut لَيْسَ *non est*, لَسْتُمْ *non estis. Conf. Reg. Spec.* II. *m.* 2. *Exc.* 2.

Except. 2. لَعَلَّ *fortaſſe*, رُبَّ *idem*, & *interdum*, nominativo dant Genitivi terminationem. Quam Enallagen Caſuum quæ alia quoque cauſent Adverbia, *V. ſup. Synt. Nom.* §. 3. Multa Adverbia exprimuntur per Accuſativos Nominum: ut حَسَنًا *benè*, شَرًّا *malè*, حَكِيمًا *ſapienter*. Etiam cum Articulo, ut اَلْيَوْمَ *hodiè*, اَلْآنَ *nunc*, (*ab Artic.* أَلْ, & آنَ *vel* أَنَّ *tempus:*) Vel per Genitivum cum Præpoſitione: ut اِلَي ٱلْآنَ *hactenùs*. مِنَ ٱلْآنَ *poſthac*. Nomina quædam ſonitus animaliumque voces ſignificantia, ut & alia, (quæ quandoque Præteriti, Imperativi, aut Infinit. valorem obtinere contingit,) immutabilia fiunt particularum more: ut غَاقِ *crocitatio*, هَاتِ *cedò*, نَزَالِ *deſcende*.

§. 3. *Præpoſitiones* ſæpè exprimuntur per Nomina Subſtantiva, adverbialiter poſita; idque vel in Genitivo præcedente aliâ Præpoſitione: ut مِنْ فَوْقِ *ſupernè*; مِنْ بَعْدِ *pòſt*, مِنْ أَجْلِ *propter*. Vel in Accuſativo, abjectô Nun vocali in Regim. ut فَوْقَ *ſupra*, قَبْلَ *ante*, قُدَّامَ *antè*, عِنْدَ *apud*, عَبْرَ *trans*, بَيْنَ *inter*, حَوْلَ *circa*, بَدْلَ *pro*, خَلْفَ *poſt*, & ſimilia; quò pertinent سِوَي, سُوَي, سَوَآءَ & غَيْرَ *præter*. Omnes Præpoſitiones ferè admittunt Affixa, præter حَتَّي *uſque ad*, مُذْ & مُنْذُ *ab inde, ex eo tempore*. مِنْ ſæpè pleonaſticè Nomini apponitur.

Præpoſitiones omnes tàm conjunctæ quam ſeparatæ regunt Genitivum: ut بِبَيْتِ *in domo*, فِي بَيْتِ *in domo*. Excipiuntur (α.) Exceptivæ عَدَا, خَلَا, حَاشَا, quæ ſæpe Accuſativum regunt.

(β.) اِلَّا Particula exceptiva, cum oratio est affirmans, Accusativum regit; si negans, & Nomen, unde fit exceptio, subticetur, postulat Casum illum Nominis subintellecti: ut مَا قَامَ اِلَّا زَيْدٌ *Non stat* (scil. quisquam) *nisi Zeidon*: si verò exprimitur illud, indifferenter, aut Casum illum nominis expressi, aut Accusativum regit: ut مَا قَامَ أَحَدٌ اِلَّا نُوحٌ aut اِلَّا نُوحًا *non stat quisquam præter Noachum.* (γ.) Particulæ Exceptivæ غَيْر, سِوَي, سُوَي, & سَوَاء regulariter perpetuò regunt Genit. At ipsæ particulæ hæ in affirmatione quidem terminantur suô Fathâ: ut *Egressus est* غَيْرَ زَيْدٍ *præter Zeidum*; in negatione verò, eâ vocali qua Nomen præcedens suppressum: ut *Non egressus est* (scil. quisquam) غَيْرُ زَيْدٍ *præter zeidum*, si verò expressum est illud Nomen, liberè vel ejusdem Vocali, vel suô Fathâ; ut *Non est egressus* اِنْسَانٌ غَيْرُ زَيْدٍ vel غَيْرَ زَيْدٍ, *quisquam præter* Zeidum. Eadem Præpositio غَيْر exprimit privativum nostrum *in*, ut غَيْرُ مُكَمَّلٍ *Imperfectus.*

Conjunctiones Copulativæ similes Casus conjungunt, nisi interdum Nomen præcedens sit Vocativus, aut Nominativus cum Accusativi Terminatione.

Interjectiones facilè docebit usus. وَيْلٌ *væ* Nomen est; & cum Articulo أَلْوَيْلُ dicitur; regitque Genitivum cum لِ. p.

تم بعون اللـــه *